BOUND BY F. BEDFORD

Jno. Carter Brown

1847.

APPENDIX REGNI CONGO.

QVA CONTINENTVR NAVIGAtiones quinque Samuelis Brunonis, Ciuis & Chirurgi Basileensis, quas recenti admodum memoria animosè suscepit & feliciter perfecit.

I. *In Africam, eiusq; regna ac prouincias Congum, Bansam Loangam, Angolam & Insulas, Mederam, Canariasq;.*

II. *In eiusdem Africæ regna, Guineam, Beninum, Æthiopiam, Ambosiam, insulasq;, Principis, Annabonam, & S. Thomæ, aliasq;.*

III. *In eandem Africam, ad Castellum munitissimum Nassouium, in Prouincia Morensi Regni Guineæ.*

IV. *In Orientales maris Mediterranei regiones, Syriam, Ægyptum, Alexandriam, Insulasq; Maltam, Cretam, Cyprum.*

V. *In Lusitaniam, vbi Naufragium passus, in reditu Granatam, Italiam, Apuliam, Calabriam, Venetias, Fretum Herculeum, & Insulas, Siciliam, Sardiniam, Corcyram, Gades adiuit, tandemq; in Batauiam reuersus est.*

OMNIA AB IPSO QVIDEM AVTHORE Germanico Idiomate conscripta, nunc verò in Latinam linguam translata, tabulisque ac figuris æneis elegantissimè adornata

FRANCOFVRTI
Studio & sumptibus hæredum Iohan. Theod. De Bry
Typis Caspari Rötelij, Anno 1625.

Magnifico Præstantißimoq; viro,

DOMINO IOHANNI FAMÆ IVNIORI, REIPVBLICÆ FRANCOFVRTENSIS CIVI ET Negotiatori præcipuo; Quem

Pietas in DEVM,
Beneficentia in proximum,
Candor in negocijs,
Prudentia in rebus
Moderatio in tanta fortuna
Ornant, commendant, extollunt:

PATRONO AC EVERGETÆ MEO EXIMIO S. D.

QVI ingrediuntur mare nauibus, facientes negotiationes in aquis multis,
Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.
Dixit & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius.
Ascendunt vsque ad cœlos & descendunt vsq; ad abyssos, anima eorum tabescit in his malis.
Impelluntur & mouentur sicut ebrius, & omnis sapientia eorum absorpta est.
Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.
Et statuit procellam eorum in auram, & siluerunt fluctus, & lætati sunt quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum (hi inquam) confiteantur Domino, & narrent mirabilia eius filijs hominum.

VIdentur mihi hæc verba Psaltis mirè apposita ad rem præsentem, Magnifice ac Præstantissime Vir, siue Nauigationes has Samuelis Brunonis Ciuis & Chrirurgi Basileensis contempler, siue calamitates meas, qui superioribus diebus illas in Latinum conuerti sermonem. Loquitur hæc historia miros authoris casus, pericula infinita, conuersationem inter Æthiopes sollicitam, morbos vel ipsa nouitate sua formidabiles, æstus & algores reciprocos, Piratarum truculentiam, Martis ac Neptuni alternatam sæuitiam, Æoli importunitatem, prælia, conflictus, famem, sitim, naufragium. Dira sane hęc omnia, quæ singula cum sufficiant ad expugnandam humani corporis infirmitatem, cuiuis iniuriæ opportunam, quid de vniuersis sentiendum erit?

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem

ait admirabundus Poëta: & me iudice, non minore iure, quàm ille, qui rogatus, nauigantes trium digitorum latitudine à morte abesse pronunciauit. Nos qui talia hæc legentes papyraceum sulcamus æquor, variè animo afficimur. Miramur, dubitamus, ridemus, ringimur, indignamur, assentimur, abnuimus, alia amplectentes alia contemnentes, postremò tædio aut delectatione capimur. In vniuersum autem omnibus

Dulce mari in magno alterius spectare labores.

Dulce, fateor, nisi & terra sua habeat pericula, suos fluctus decumanos, procellas, tempestates, syrtes, charybdes, scopulos, breuia, monstra, naufragia. Subscribet sententiæ meæ *Petronius*, Latinarum Elegantiarum in tersa dictione *Arbiter* in his:

Non sola mortalibus maria hanc fidem præstant. Illum bellantem arma decipiunt: alium dijs vota reddentem penatum suorum ruina sepelit: ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit. Cibus auidum strangulauit, abstinentem frugalitas. Si bene calculum ponas, vbiq; naufragium est.

Quid autem opus est aliunde testimonia anquirere, cum οἱ οἴκοθεν μάρτυρες nos luculenter erudiant, parum differre, vbi iacturam naufragiumque faciamus, in arido an humido; solo an salo cruorem nostrum hauriente, bona abliguriente.

Intus habes quod quæris, ait

Vxor ad Tereum apud Nasonem. Quod enim Mare Malorum permultos hactenus iactauerit, qui fluctus, & quàm graues tempestates nos exercuerint, qui considerauerit, facilè patietur, nos pericula nostra cum Oceani iniurijs componere, quod non minore animi præsentiâ, fortitudine, constantiâ, tolerantiâ, in sicco hoc naufragio opus fuerit, quàm quæ ab ijs exigitur, quorum περίπλους vel ipsum mundi Orbem cinxerit. Et vt de me priuatim profitear longum fuerit recitare, fortassis & tædiosum, quibus his proximis annis, patriâ nostrâ in viscera sua sæuiente, fuerim iactatus fluctibus, quibus quassatus tempestatibus, latronum sim furorem expertus, qui Piratis nihilo mitiores omnibus me exuerunt fortunis, patria extorrem fecerunt cum familiâ, afflictum, egenum, exulem, adeò, vt carina mea tot insultibus collisa, parum abfuerit quin admisso Pelago mergeretur. Accessit tandem grauissimus fluctus ille, qui

Posterior nono est vndecimoq; prior,

vt eum non multò me felicior Poëta exul circumscribit: Morbus inquam, varia trahens & sontica symptomata, quibus ita per totam æstatem superiorem exhaustus sum, vt ab vmbris redeunti similior extiterim, quam ad vmbras ambulanti. Interim, ne quid ad cumulum miseriarum mearum deesset, hei mihi! quoties ab improbis ac malis hominibus

Impulsus, euersus sum vt caderem,
Sed Dominus suscepit me,

excitauitque nonnullos pietate & virtute præstantes viros, qui mihi in illis angustijs versanti opportunè suppetias tulerunt, quorum solatia languenti ac arenti instar roris matutini fuerunt. Inter quos Tu mihi primo loco numerandus venis, Vir amplissime ac præstantissime, qui intellectis necessitatibus

tibus meis me, tibi necdum satis notum, vltrò ad percipiendam beneficentiam tuam inuitasti, eaque præstitisti humanitatis officia, quæ mihi quidem memoriâ nunquam elapsura, Tibi autem vel meo ministerio perpetuam sunt paritura FAMAM.

Sentio me hoc nomine Tibi non parum debere, *Magnifice Domine*, sentio inquam, & fateor, & erubesco, quod hactenus gratias Tuæ virtuti ac liberalitati nō sufficienter egerim. Quid igitur, dices, an iam id præstabis? Nec pol iam nec olim, exul, egemus, inops, sed vadem Tibi sistam, eum, *qui potens est facere vltra quàm optare aut cogitare possumus, & cuius altitudo diuitiarum superat omnem intellectum*, qui pro me pręs futurus, haud dubiè memor erit verissimæ pollicitationis suæ, *se vel pocillum frigidæ seruis suis laborantibus oblatum, æternis præmiis remuneraturum*. Interim vt vel aliquod grati animi Testimonium à me proficisceretur, volui publicè me tibi debitorem profiteri, oblatâ hac festinatâ opellâ meâ (nec enim multum olei impendendum fuit versioni huius historiolæ) quæ tamen vel eo nomine nec rhonchos, nec cariem præmaturam metuit, quòd Virtuti ac Amplitudini tuæ nuncupata est,

Quodque sibi FAMAE præscripsit pagina Nomen.

Alterum est, vt memor moris perantiqui hoc velut Xenium ineuntis noui anni causa gratulabundus ad puluinaria tua deponerem, securus repulsæ, quod etiam libens meritò facio, DEVM Optimum Max. conceptis votis comprecatus, vt annus feliciter currat & labatur, Tibi tuisque prosper ac salutaris, adeoque vniuersæ Ecclesiæ Christi, sub graui bellorum ciuilium onere fatiscenti. Ita opto voueoq; ore, stilo, pectore, manu scribens, animo subscribens. οὕτω γένοιτο.

Vale vir præstantissime, & munusculum hoc adeoq; me ipsum Tuâ id est lætâ fronte excipe, fauore complectere, beneuolentia prosequere. Francofurti primis Anni Noui Calendis, qui à partu virginis currere incipit supra millesimum sexcentesimum vigesimus quintus.

Nomini, Honori, Virtutique Tuæ

Addictissimus

I. Ludouicus Gotfridus, seruus & exul Christi.

PRÆFATIO

BENEVOLO LECTORI SALVTEM.

*Q*Vanta fuerit Ioh. Theodori de Bry, ciuis, Bibliopolæ & Chalcographi Francofortensis, Mariti & Patris quondam nostri (cuius est in pace memoria) cura & sollicitudo, quis labor, qui sumtus circa publicationem historiarum vtriusq; Indiæ (vt vulgo vocantur) tam Orientalis quam Occidentalis, satis superq; elucet ex vtroque opere tam terso, tam polito ornatoq; (fas enim nobis sit gloriari) vt omnes, quibus non est ingenium tetricum, aut plumbeum pectus, quiq; nō aspernantur rerum exoticarum cognitionem, facile fateantur, in omni re litteraria vix quicquam extare suauius lectu, jucundius auditu, delectabilius visu, siue ipsas historias rerumq; plurimarum incredibilem varietatem consideres, siue spectes tabulas Chorographicas & Topographicas, figurasq; artificiosa manu lepidissimè & peringeniosè sculptas, historiæq; ipsi lucis instar adiectas. Inter hæc ingenij eius monimenta est elegans descriptio plerorumque regnorum ac prouinciarum Maioris Africæ, imprimis autem regni illius vastissimi, quod tam ab incolis Afris quam extraneis Europeis CONGVS appellatur, cuius partes & velut membra sunt Songo, Angola, Loanda aliæq; prouinciæ, prope vsq; ad extremum Africæ promontorium, quod Caput Bonæ Spei vocant: quod regnum, vt & vniuersam terram Africam, tabulis Geographicis & Hydrographicis eleganter expressam, vna cum incolarum eius habitu, moribus, armis, consuetudinibus, vt & fructibus ac animalibus illi regioni peculiaribus, lectori non minus quàm spectatori ob oculos posuit, in prima parte magni operis nostri Orientalis Indiæ, quam regnum Congi inscripsit. Et illum quidem sua mansere fata: nos autē vt bonorum & nominis sui, ita studij quoque lectorem delectandi & publicis monimentis demerendi hæredes reliquit. Nacti igitur has honestissimi & experientissimi viri, Samuelis Brunonis, ciuis & Chirurgi Basileensis nauigationes, quas is in easdem regiones, quæ parte prima nostræ Orientalis Indiæ describuntur, Africæ nimirum regna, Congum, Sognum, Loangam, Angolam, Guineam & littus auriferum audacter suscepit & feliciter confecit: nostri officij esse duximus, earum, viri docti operâ in Latium sermonem conuersarum, copiam Lectori facere, his præcipuè de causis. Primò quia id ordo & series, quam hactenus in vtroque opere Indico secuti sumus, poscit, vt cœpta tela pertexatur. Deinde quia parilitas materiæ, & concinnitas vtriusq; scriptoris, & prioris illius, & huius recentioris id exigere videtur.

Tertiò

AD LECTOREM.

Tertiò quia à prima illa descriptione Africæ, Congiq; atque Angolæ *multi anni ad hæc nostra tempora effluxerunt.*

Anno enim à partu virgineo millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, auspicijs Iohannis secundi Lusitaniæ Regis *illius partis Africæ populi plenius cogniti, & ad fidem Christi conuersi sunt (circa quod tempus etiam* Christophorus Columbus *Occidentalem Indiam, quam* Nouum Orbem *vocant, auspicijs* Ferdinandi Catholici, Castulonis Regis *detexit) à quo tempore ad hunc vsque diem, quàm multi intercesserint anni, nemo est qui non videat.*

Etsi autem tempora mutantur, & cum ijs terræ, mores & consuetudines gentium, inueniet tamen lector non sine admiratione, maximum consensum inter vtrumq; scriptorem, mirabitur inquam perseuerantiam, seu potius peruicaciam illorum Africæ incolarum, in Diabolica Dæmonolatria, alijsque turpitudinibus atque abusibus, Constantiamq; in inconstantia, pertinaciam in malitia.

Hunc igitur posteriorem, Samuelem *inquam nostrum* Brunonem, *qui omnia quæ nobis literarum monimentis consignata impertiuit, ipse nuper admodum oculis suis arbitratus est, cum prisco illo superiorum temporum scriptore Pigafetta confer, nec dubitamus, quin multum inde vtilitatis ac delectationis sis percepturus. Nos certè, vt de nobis profiteamur, id vnicè operam damus, vt laborum sumtuumque nostrorum is fructus duplex ad te redeat, sic valeamus, & tu quoque*

AMICE LECTOR.

Francofurti ex Bibliopoleio Bryano Kalend. Martij 1625.

Ioh. Theodori de Bry, felicis recordationis hæredes.

Ἀνθρώπων πολλῶν ἴδεν ἄστεα δῖος Ὀδυσσεύς,
Τὴν δ᾽ ἔλαχεν σοφίην, ὥσπερ Ὅμηρος ἔφη.

Αἰθιόπων Σαμουὴλ ἴδεν ἄκτας, καὶ νόον ἔγνω,
Ἀμφὶ βροτῶν μελάνων δώματα μικρὰ πλέων.

Χειροῦργός τ᾽ ἀγαθὸς μάλα καὶ κρατερὸς στρατιώτης,
Φημή, δόξα κλέος Πατρίδος Ἐλβετίης.

Αὐτὰρ ἐμοὶ Βρούνων Ἰθάκου ἀντάξιος ἀνδρὸς
Καὶ φάνεεν δόξης ἄξιος ἔμμεν᾽ ἐῆς.

Ὠκεανόν τε βλέπων, Πόντον, καὶ Μεσοθάλασσαν,
Ἱστορικοῖς τε γράφων κῦμ᾽ ἀνέμοιο λόγοις.

I. L. Gottfridus.

SAMUELIS BRUNONIS CIVIS ET CHIRURGI BASILEENSIS, PRIMA navigatio Africana, in Insulas Canarias, Palmam, Mederam Majum, S. Matthæi, & Regna, Angolam, Bansam Loangam, Congum, aliasque Provincias.

CUm ab ineunte adolescentia mira me tenuisset cupido peregrinas regiones videndi, & exterorum populorum, ritus moresque pernoscendi, ut tandem desiderio meo satisfacerem, cum jam artis meæ Chirurgicæ tyrocinia deposuissem, verno tempore anni à partu Virginis millesimi sexcentesimi vndecimi, statui experientiam vlteriorem cum usu artis apud peregrinas gentes acquirere. Eo nomine profectus in inferiorem Germaniam secundo Rheno, & ad Batavos delatus, Amsterodamum appuli, meamque operam cuidam Chirurgicæ facultatis Magistro (Herculi Francisco Viro nomen erat) addixi. Cumque ibi loci omnis generis majores naves quotidie conspicarer, quæ ex variis orbis habitabilis partibus eò appellebant, puta ex India Orientali, & Occidentali, Guinea Africæ, Angolæ regno, nec non ex Europæ partibus, Hispania, Lusitania, Italia, ut & ex Mari mediterraneo ab Ægypto & Syria, Græciaque & Ponto: in stuporem præ admiratione raptus homo harum rerum ignarus vix mihi ipsi credidi. Crevit igitur exinde desiderium quædam è regnis illis exoticis perlustrandi, unde & mihi, & fortassis etiam aliis aliquid emolumenti crearetur. Nec destiti in omnes occasiones intentum habere animum, donec inventa navi, quæ ad Orientales Indos profectura esset, illius me adjungerem epibatis. Ut autem omnia humana consilia facilibus mutantur momentis, præsertim si alienis quid faciendum sit auspiciis, ut itineris repente sit commutanda ratio: ita mihi tunc accidit, quanquam magno meo, ut post patuit, emolumento. Cum enim recensiti essemus, quotquot una eramus navigaturi, vir quidam benevolo in me animo clam seductum amicè monuit, ne vitam meam unico, eiq; vili & exiguo navigio crederem, sed me ipsum meliori occasioni servarem. Post aliquot dies aliam navim in Africam abituram, pluribus viris, armis & commeatu, machinisque instructam, quæ jam in potentissimum regnum Congum, ejusque Provinciam Angolam destinata esset. Expectata igitur hujus navis profectione, implorato divino auxilio, eam ingressus sum, cujus navarcho nomen erat Jano Petersonio. Duravit autem hæc navigatio viginti duobus continuis mensibus, cum tamen ulterius quam in Congi regnum profecti non fuerimus, cujus incolæ se Christianos profitentur, quanquam Romano more, ut Hispani & Lusitani, à quibus primum conversi sunt. Nec in toto illo Africæ littore facilè invenies Christianos, præter eos qui cum Aethiopibus commercia agitant, solis Congi Regni civibus exceptis.

1611

Ἀφορμὴ harum navigationum.

Authoris profectio in Africam.

Cum igitur hæc regna atque Insulas ipse coram adiverim, fert animus, ea, quæ præsens oculis meis usurpavi, quæque annotatione digna judicavi, multis bonis viris exigentibus, memoriæ prodere, stylo tamen simpliciori, & veritatis ac perspicuitatis magis quam elegantiæ studiosiori.

Igitur postquam Amsterodami lustratio facta esset eorum, qui navigaturi erant; primo Decembris die Anni supra millesimum sexcentesimum undecimi solvimus ab urbe, Texeliamq; exiguam Batavorum insulam petiimus, quo in loco navibus solenne est, ventum prosperum expectare, quod consilii nobis quoq; tum capiendum fuit: hæsimus enim ibi ad vigesimum octavum usq; Decembris diem: quo, ut & sequentibus, circiter septuaginta duæ naves majores solventes, diversas Orbis terrarum partes petiere interq; eas tredecim junctim in Orientalem Indiam iverunt: nobis vero, uti dictum est, propositæ fuerunt Guinea & Angola regiones ulterioris Africæ. Porro nostrę navi nomen indiderant, ut virum Marinum appellarent: junxerantq; se nobis aliæ quædam naves duæ, quæ nobiscum in omnem fortunæ eventum societatem pactæ fuerant. Sic enim obtinuit mos navigantium, ut quoties naves è diversis partib⁹ conveniunt, simul navigaturæ, & vel Hispaniam, vel Numidiam Mauritaniamve petituræ, gnaræ, piratis mare illud frequenter infestari, his ut validius resistere possint, aliquot naves inita societate inter se unum corpus constituant, uni Admirallio parituræ, eandemq; fortunę aleam, utcunq; cadat subituræ. Quod si contingat, unam pluresq; ex earum navium numero, quæ hoc modo pactæ sunt, in hostium potestatem venire, cæteræ obligantur, vi compromissi illud quidquid est damni collato ære sarcire, donec in solidum satisfactum sit ei qui jacturam fecit. Nocte autem suis quibusdam se internoscunt signis, uti suos ab hostibus discernant, neve in brevia aut vadosa loca impingant, aut aliud aliquid improvisi nocumenti percipiant. Nobis igitur Texelia vigesimo octavo Decembris die profectis, primo Ianuarii anni novi, tam valida tempestas incubuit, ut sequenti die sublatis cæteris è conspectu nostro omnibus, unica navis nobis adhęserit, cui & nomen & signum erat cærulei Leonis. Ibi ego imperitissimus mortalium mihi persuasi, cæteras naves omnes submersas periisse. Sed vanus fuit metus. Patuit enim postea, illas ad unam omnes, diversos Angliæ portus ingressas, incolumes evasisse, excepta una, quæ in Ægyptum destinata fuerat, sed imperitia naucleri in loca vadosa deducta, noctis incommodo obhæserat. Ita duabus navibus tantum itineris marini confecimus, ut bidui spacio Hispania se nobis ostenderit. Delati autem nautæ ad parvam quandam Insulam, Perles dictam, moris sui perantiqui tenaces, eos qui mare illud antea non navigaverunt, ceremoniis quibusdam initiatos baptizant, ut tyro antenna principalis mali ter in altum sublatus, ter in profundum pręcipitetur. Quæ quidem initiandi ratio mihi supervacanea admodum visa, parum placuit, utque hoc tam crudele Baptisma precio redimerem, cerevisiæ dolio sive Tonna, ut vocant, me ipsis satisfacturum spopondi, & sic parsum est mihi. Successit huic procellæ commodior tempestas, ventiq; magis propitii spirabant, singulis dieb⁹ decrescente frigore, quia meridionales regiones petebamus, qua cōmoditate usi, assiduè vela ventis indulsimus, donec Canariæ Insulæ se nobis in conspectū darent, inq; primis mons pręaltus, Pica dictus, cujus tanta est sublimitas verticis, ut ad quadragesimū milliare Germanicum videri possit, cum cœlum sudum est. Præter illā Insulam (Teneriffæ inter Canarias nomē est,) cōspeximus etiā sereno aëre Mederam & Palmam, quarum insularū incredibilis est fertilitas. Tantū enim in his tri⁹ provenit quotannis vini, quantum vix in media parte ipsius Hispaniæ, ut jam de præstantia ejus nihil dicā, cum

Texelia Insula.

Guinea & Angola regiones Africæ.

Ratio societatis à navigantibus initæ.

Annus 1612

Mos initiandi navigantes.

Madera & Palma Insulæ.

cum per omnẽ Europam sit celebre. Nec exiguus, est ibi optimi sacchari proventus, ut & Gossipii, cum incredibili sericorum vermium sive bõbycum copia. Hæc Insula inter peregrinos præcipuam laudẽ invenit; rationes eæ sunt, nec Gallos nec Anglos nec Batavos, nec deniq; è nostris Hamburgenses aut Gedanenses fugiant. Ceperat me ingens desiderium in littus egrediendi, easq; Insulas pressius cognoscendi, sed navarchus negabat id sibi licere, cum nobis propositum esset eas terras, quæ regis Hispanorum Imperium agnoscunt, infestare. Ipsi incolæ harum Insularum Hispano-Lusitanica lingua loquuntur, cum centũ quinquaginta milliarib⁹, nõ amplius ab extremo Hispaniæ littore absint, ipsiq; adeo Hispani potissimum eas possideant colantque. Cum autem res rationesq; nostræ non paterentur, longiores hic moras nectere: proris alio versis, parvas quasdam Insulas, Salum, Majum & Brachum petiimus, quæ nongentis quinquaginta millaribus ab Hollandia distare creduntur, suntq; admodum inter se vicinæ. Non tamẽ habitantur oppidatim aut vicatim, nec ulli mortales ibi, quam facinorosi Hispani, qui ob scelerum atrocitatem patria ejecti, in has deportati fuerũt Insulas. Multum hi nostris nautis subinde damni afferunt, quos cõmoditate aquandi illectos, sciunt hic in terram descendere solere. Magna insuper est in iis Insulis Caprorum copia silvestrium, qui magnitudine nostros multò superant, cute glabriore ac pilis brevioribus: jaculis configere, globisq; trajicere oportet, qui illis frui velit. Crescunt etiam in hisce Insulis poma aurata felici admodum fætura. Cæterum hi deportati, quibus aqua & igni interdictum domi est, quoties peregrinam navem advenire cernunt, abdũt se in nota latibula, nostrisque vana credulitate persuasis, Hispanos nullos adesse, ac sparsim per viciniora littori loca discursantibus, nõnullis etiam fructus arboreos in propinquis sylvis quærentibus, ad usum ægrorum, scelerati illi, qui in insidiis latuerant, hoc animadverso prosiliunt, nostrosq; dicto citius globis plumbeis trajiciunt, qua ratione hactenus multos è medio sustulere, ipsi contra impunes, cum dilapsi speluncas ac recessus suos, nostris ignotos petant.

Earum fertilitas & præstantia soli.

Deportati Hispani latrones.

Cur autem tanto furore ac rabie cum in alias nationes tum in Batavos præcipuè ferantur, ut nec bona nec naves eorum, sed sanguinem vitamque tantum appetant, hæc est ratio: quod Hispano Regi non sit ignotum, naves plerasq; omnes qui Indiam Orentalem, Guineam, Angolam, Bajam de Todos Sanctos, Fernambucum sibi proposuerunt, hic appellere solere, ubi lignatio, aquatioq; percommoda, & salis insuper copia. Deportatis autem illis non alia ratione reditus in patriam conceditur, quam si octo aut decem capita humana peregrinorum nautarum cervicibus avulsa, Barbara & ferali ratione, ostendere possint. Quo facto in Hispaniam vel Lusitaniam recepti ad priora scelera reversi, antiquũ obtinentes, latrociniis & furtis grassantes tandem tamen carnificis manu facinorosum spiritum perdunt, aut si mitius cum illis agitur, ad triremes damnantur.

Pulchra ratio, per homicidia, reditũ in patriam impetrandi.

Cum igitur de aqua dulci nobis prospexissemus, vulsis anchoris vela dedimus, prora in Insulam S. Matthæi obversa: quam, postquam ob densas nebulas quæ repente emerserant, conspicere nequivimus, omissa illa Bansam Loangam (alii Loandam vocant,) celeberrimum Regni Congi portum recta petiimus. Hic ego, si omnium tempestatum procellarumq; pericula, quæ nos toto hoc itinere miris modis exagitaverunt, percensere velim, in immensum crescat libri modus: sed supersedere satius est: unum tamen subticere mihi facile non est. Cum octo tantum gradibus ab Æquinoctiali linea versus Arctum abessemus, ingens volatilium piscium numerus, quibus magnitudo qualis halecis, in navem nostram se volando conjecit. Signum hoc

Insula S. Matthæi.



fuit ſequutæ poſt triduum malaciæ ; tanta quippe oborta eſt tranquillitas, vt per integrum menſtruum ſpacium ventos nullos animaduerteremus. Quod ſilentium quandoque tanta Circij violentia ſecuta eſt, vt, niſi dicto citius vela contraxiſſemus, pereundum nobis illico fuerit. Quodque magis mirere ; poſt pauca temporis momenta tantam illam ventorum ſæuitiam iterum repentina tranquillitas ſubſecuta eſt ; quaſi venti nulli ab aliquot diebus ſpirauerint. Pluuiæ inſuper frequentes, trinis quaterniſque quotidie vicibus, grandibus guttis decidebant in nos ; quas ventorum magna & violentia & varietas eſt ſecuta: quas pluuias, vel potius imbres nautæ vulgariter *Trauadas* vocant, nec omnibus per annum menſibus, ſed certis tantum quibuſdam imperium obtinentes : Martio nimirum, Aprili & Maio. Cæteris omnibus pluuiæ nullæ terram humectant, ſed omnia velut ſub feruente Seirio arent atque ſitiunt. Eluctatis hæc pericula, haſque tempeſtates clementior afflauit Spiritus, qui nobis velut manceps factus ad vſque fines Regni Angolæ pro votis obſecundauit ; nimirum, vſque in regnum Maiombanum: ibi nauim Hiſpanienſem, quas Barquas vocant ; offendimus ; ipſi Hiſpani negociatores ab indigenis rubeum quoddam ligni genus, quod Daculum vocant, mercabantur, admenſo vili quodam panni genere, cerulei, flaui, aut rubei coloris, perexigui precij, aliud mercimonij genus ob paupertatem incolarum ibi non exercetur.

Mira tempeſtatum varietas.

Portò

Porrò Maiombæ regio horridior & sterilior est cæteris prouinciis omnibus in toto regno Angolæ: collib. aspera, syluis & nemorib. obtecta, dumetis ac veprib. horrescens. Ipsi incolæ tam viri quam fœminæ, pueri, adulti, senes, nudi penitus incedunt, tecti verēda suppariolo. Agros neq; colunt neq; conserunt, nec tamen famem vnquam patiuntur. Crescunt quippe in eorum solo radices quædam tanta magnitudine, vt hominis obesi femur æquent crassitie: nomen radici illi Cassaui, quam contusam, ad solē siccant, teruntq; postmodum, vnde farina prodit quauis triticea candidior. Si quis succum huius radicis recens expressum (quod ipsi mira ratione faciunt) bibere ausit, præsentissimum vitæ adit periculum: nec enim minore pollet vi venenata, quam tithymalli aut cicutæ sanies. Cæterum, vti dictum est ad solem siccata radix cum succo, in salutare nutrimentum cedit, dulcedine sua commendabile, panisque similaginei ipsis vsum præstat.

Cassaui radix diuersæ qualitatis.

Venatio insuper in ijs locis non infrequens, Bubalos alit terra magno numero, quos accuratè iaculari norunt, nō sagittis ab nervo tortis, sed hastilibus pilisve, artificiosa dextera celeriter missis. Ipsi hoc teli genus Assagaiam vocant. Carnes bubalorum ferè fumo siccatas asservant, ex corio eorum in longitudines secto lora oblonga conficiunt, spithamā unam lata, quib. lumbos succingunt velut Zonis latioribus, sed non nisi cum aut in belli expeditionem, aut venatum proficiscuntur. Estq; illis latum illud lorum sive aluta ob crassitiem & firmitatem instar loricæ, quibus partes corporis molliores & & imbecilliores muniunt, alia prophylacteria arma ignorantibus. Fructus arborei qui penes ipsos, præstant bonitate & dulcedine, quoq; magis mireris, sylvestres & cōtumaces omnes sunt, nulla insitione, aut maritatione, aut minima deniq; cultura mitescere docti. Domus eorum vili fabrica, virgultis inter se plexis combinatæ, eoq; ob levitatem portatiles. Cubile nuda humus præstat, quæ calida & sabulo strata vndiq;, nec tamen ob id quicquam de aduersa valetudine apud illos querelarum. Robusti sunt, succulenti, validi saniq; pleriq; omnes. Quę sit eorum religio, vel superstitio potius, expediam postea, cum Insularum regionumq; vicinarum Loangæ, Guineę, Malembæ, Gagongi, aliarumque historiam edisseruero: hæ enim nationes omnes eandem circa cultum Dei insaniam insaniunt.

Bubalini corii vsus mirus.

Deserta Maiomba conuertimus vela versus Bansam Loangā. Cæterum cum navigatio nostra lentè succederet ob ventos parum fauentes, qui potissimam anni partē ex Euroaustri regionibus prospirant, fluuiusq; insuper, cui idem cū Congo regno nomē, aquas suas in Oceanum exonerans, nos eodem pariter impetu longè propelleret: totis sex septimanis retardati circiter 300. milliaria velificando conficere sine vllius emolumenti specie, coacti fuimus: quo tempore magna nauigantium pars ob aeris intemperiē diuersis morbis correpti male habuerunt. Tandem vero multis exhaustis laboribus & periculis in Bansæ Loangæ portum celeberrimum ingressi sumus. Primi qui nos conuenerunt, erant piscatores aliquot pice nigriores. Erat autem illis familiariter notus navarchus noster, qui hæc loca iam ante frequentauerat. Hi, inquam piscatores aduentum nostrum sibi gratum esse, miris gestibus significauere: genibus innixi, complosis manibus sine fine clamātes, SACARELLA SACARELLA, quod est nostra lingua: Prosperè aduenitis: sit felix appulsus vester. Ibi magno animo nauclerus noster solus cymbam piscatoriam Barbarorum ingressus, solus in littus egresus est, quem atri illi piscatores exceptum, protinus ad Regem suum deduxere, cuius aula tunc duabus non amplius horis ab littore siue portu aberat: ad quem accessus peregrino homini nequaquam patet, nisi deducatur ab atrato aliquo, notæ fidei indigena.

Bansa Loanga.

Oracula apud Incolas Congi.

Quo facto, ne quid improvidè faciant, Oraculum suum, quod ipsi barbara lingua, Maguschi vocãt, (est autem ipsissimus Cacodæmon) consulunt: utrum exteris sit habenda fides? an in eorum perniciem an emolumentum advenerint peregrinæ naves? Quibus omnibus respondet pro modo quæstionum Maguschius eorum, postquam illis prius indulsit veniam cum advenis exercendi mercimonia. Ab hoc enim Cacodæmone (quæ res commiseratione est dignissima,) toti dependent, velut ab summo suo Imperatore, cui tam animo quam corpore devoti sunt infelices. Accepto Oraculi responso, Rex peregrinis suo modo cavet de incolumitate, illisq; copiam facit, egrediendi in littus, ac mercimonia commutandi, fidemque datam ingenuè præstat. Obtinuit tamen ab antiquo mos, uti Comes, cujus sunt præcipuæ in navi partes, Regem indigenam munere aliquo honestiori veneretur, quod tunc quoque à nostris factum. Duos enim Pavones, & duos catellos Melitenses ex quisiti candoris, Tympanum insuper Batavici generis, regi dono obtulimus. Accepta autem sunt hæc munuscula tanta cum alacritate, gratiæque acta, ac si aliquot ducatorum aureorum millia obtulissemus: nam neque pavones nostrates, nec albos catellos, nec tympanum ullum Hollandicum ad eum diem viderant. Hac nostra in regem liberalitate scilicet factum est, ut ab universo populo blande excepti coleremur, & modis omnibus honestè haberemur.

Dona regi Barbaro oblata quæ.

Ipse Rex Loangæ sex aliis, veluti regulis imperitat, qui & ipsius summũ Imperium venerantur. Sunt autem partim filii ipsius regis partim ex fratre nepotes aut sorore, quib⁹ non ante quam ad gubernationem reipublicæ suo quisq; loco admotus est, nomen MANNA conceditur. Quale autem hoc sit nomen, & cujus dignitatis, inde disces: quod Regem Bansæ Loandæ vocãt; MANNA Loanga, quæ quidem dignitas filiis legitimis post patrem imperaturis permittitur, cæteris nequaquam. Respondet igitur hoc vocabulum Gallicano Monsieur sive potius Monseigneur, (si stolidissimum abusum tollas) aut Hispanico Don, aut Italicò Signor. Qui tum potiebatur rerum; Rex Loangæ, trecentas sexaginta concubinas dicam an uxores, habebat. Una tamen inter illas præcipuo loco est, ac veluti regina. Ex qua, si cõtingat ipsum filios suscipere, qui primus lucis usuram adspicit, totius regni hæres est indubitatus: quicquid superest masculę prolis ex primaria uxore, in illos minores provincię distribuuntur, quibus secundario imperitent, ita tamen, ut à primi nutibus dependeant omnes. Qui è cæteris mulieribus progeniti sunt filii, ad arma ab adolescentia adsuefiunt, ut suo tempore militum, tribunorum, centurionum officiis sufficere possint. Nominantur tamen & hi, postquam adulti manum capulo admoverunt, honoris erga MANNA, velut Manna Gangala, Manna Belle. Quod enim his barbaris *Gangala*, nobis hastile sive spiculum missile sonat: quod ipsis est *Belle*, nobis culter. Hæc autem armorum exercitatio tantum apud istos valet, ut nullo prope nisu aut sanè levi, hostem missili ab manu telo transfodiant: cultros autem latiores, & velut secespitas tanta peritia jacere norunt, ut hosti ictu minimè nugatorio caput in partes secent, quam rem ipsi cum admiratione oculis arbitrati sumus.

Manna vocis usus apud Barbaros.

Exercitium armorum apud Congenses.

Quod si spes prolis ex uxore præcipua regem fallat, & rex sororem habeat, quæ mater sit masculorum unius vel plurium, major natu inter eos succedit in regno. Quod si ne hi quidem ulli sint, res armis disceptatur. Nam successore legitimo destituti, quisque regnum sibi vendicat privato jure, & si quis ex primis ordinum ductoribus cæteris opulentior cum alio aliquo regni candidato conspiret, parvo labore res transigitur, tribus duobusve contra singulos facile prævalentibus.

Carent

Carent illi quidem argento auroque, propriis ad oſtentandam ſuperbiam inſtrumentis, nec tamen eo minus inflati ſunt & ambitioſi.

Loanga fertilitas.

LOANGA regio eſt plana quidem, ſed edita, omnium bonarum rerum ferax. Circa partem eius, Banſa Loanga dictam, telluris eſt ea facies, iſta affluentia, vt eam Mahometi Paradiſo non ineptè conferre queas. Vinum quo hic vtuntur, vix vlli per totum orbem præſtantia ceſſerit: incolæ appellant Malaſam: noſtri vinum de Palma. Colligitur autem laudatiſſimus hic liquor ab arboribus quibuſdam, quæ altitudine ſua cum abietibus noſtratibus certare poſſint, in quarum ſummitates nigri hi circulatores tanta celeritate erepunt, vt vix credam, felem in conſcendendis arboribus expeditiorem eſſe poſſe.

Dilapſus in hanc de vino illo palmarum narrationem temperare mihi non poſſum, quin delicioſiſſimæ illius arboris viniferæ ingenium & naturam aliquanto fuſius enarrem, vnde lector admirandam Dei bonitatem & ſapientiam noſcere queat.



Igitur iam primum hæ arbores coluntur pari prope cum vitibus ratione, quotannis enim inferiores rami, inſtar ſarmentorum falce amputantur: inde amputatis ramis ſubnaſcuntur quaſi varicoſi quidam tumores, & eminentiæ, qui aſcendentibus ſcalarum aut graduum vſum præſtant.

vnde

Unde ex infitis tubulis five canaliculis prolicitur fuccus arboreus, inque vafa arbori alligata colligitur. Hic autem tam gratus fudor longo tempore fluit, nempe novem continuis menfibus per annum, cujus ea eft gratia, ea guftui allubentia, ut ne præftantiffimo quidem vino cefferit.

Vinum ab arbore lectum quale.

Cæterum dum recens adhuc eft, fumi vult: nam fi per biduum affervetur, acefcit. Subveniri tamen huic rei commodè poteft, fi decoquatur igne, velut defrutum; tunc enim priorem fuam bonitatem recuperat, fed duraturam. Vires ejus funt mirificæ, detergit mentem omni moleftia, confirmat nervos, nec cerebrum ferit alternis ictibus, quod vina ferme omnia noftratia faciunt. Hujus rei non eft quod aliunde arceffamus teftimonia. Ecce me, qui hujus Vini arborei multoties non parum haufi, citra tamen debilitatem membrorum, citra dolores capitis, omnemque penitus moram, ita loquor, ita teftor bona fide.

Alius usus arboris viniferæ.

Nec tot ac tanta hujus arboris in genus humanum beneficia etiamdum omnia percenfuimus. Tertio quoque anno, quafi parum à fucco tam nobili exhauftæ fint hæ arbores, uvas proferunt, brachii humani longitudine, eaque craffitie ac pondere, ut à viro robufto manibus fuftineri ægre poffint. Acinis lucent auratis, magnitudine juglandis. è coccis qui racemis continentur, poftquam contufi funt, oleum profluit, quod nos, Oleum de Palma, barbari Mafam appellant. Ipfi cocci fivi nuclei multum habent fimilitudinis cum avellanis, & nifi exprimantur, ficcati ac moliti farinam ad panem faciendum præbent. Nec foliis fuus deeft ufus, fuaque ingens commoditas, fuperant autem longitudine fua brachii humani menfuram, quibus Afri extimam pelliculam fcitè detrahunt, eamque tanto artificio plectere ac torquere norunt, ut preciofa quædam textura appareat, quales apud nos funt depictæ cortinæ, vel aulæa ac periftromata. Nec illos fallit hic idem ufus. Parietes ædificiorum fuorum hoc genere exornant, qui parietes tamen & ipfi farmentis five ramis arboris viniferæ incredibilis rectitudinis texti plicatique funt, ea pulchritudine atque ordine, ut cum natura illis omnia prope fuppeditet fua fponte, nos dictis fidem habere non poffimus, quibus omnia fudoribus, algore, vigiliis, periculis emenda funt.

Veftes è foliis arborum.

Nec foliorum hujus tam prægnantis arboris ufus defiit. Ex iifdem veftes fuas conficiunt. Extremi corticis tenuiffimam membranam, & velut epidermida pedunculis foliorum fcite detrahunt, quæ ubi aruit lini fpeciem, fed præparati, præ fe fert. Illam membranam miro artificio habilem reddere norunt, ut ad varios nendi texendique ufus, qui ferè funt duûm generum. Ex puriore quidem hujus materiæ parte veftes conficiunt, ut & miræ pulcritudinis, variæque picturæ tegumenta capitis five mitellas, quæ ob artificii præftantiam, tantum pro regum aut magnatum filiis coëmuntur: nactus autem ego quoque talem mitellam ob raritatem texturæ, mecum Bafileam attuli, ubi eam ftudiosè confervo. Porrò virorum veftitus à fede coftarum fpuriarum promittitur, ufq; ad pedes, mulierum à præcordiis ad ufque genua. Is autem eft harum veftium fplendor & glabrities, ut holoferici fpeciem intuentibus referat, cum tamen ex folis hujus arboris foliis conftent. Fœminæ mitras aut tegumenta capitum non geftant, fed crines in nodos cirrhofque collectos in fummo vertice torquent in acumen, quod non adeo eft indecorum.

Agricultura Angolenfiû.

Nunc porro etiam de Agricultura eorum aliquid dicendum eft. Cum autem in fuperioribus à me commemoratum fit, viros in Angolæ regno robuftiores fere effe reliquis Afris, nec lacertorum validitate mulieres illis multum cedere, huc paucis ea repetam; dico igitur in toto Angolæ regno

mulie-

mulieribus (& bona quidem ni fallor ratione, cæteroquin inerti ocio fruges absumturis) officium colendorum agrorum hortorumq; delegatum esse; Cum enim aureos argenteosq; thesauros reconditos habeant nullos, diuitiarumq; alia longè sit apud illos ratio quàm apud nos, mulieribus velut iumentis vtuntur, quarum opera agriculturæ prouentibus ditati opes acquirunt. Hinc scilicet originem traxit tam enormis polygamia apud illos, vt singuli denas, imo vicenas uxores ducant, quæ omnes ad agrum colendum, serendumque obligantur, quod ab ipsis volentibus quidem, & miro laborantium ordine fit, vt satis mirari non possit, qui fœminarum in nostro orbe malitiam & intemperiem consideret.

Ipsum Angolæ regnum frugum copia & arboreorum fructuum ubertate omnia vicina regna facilè superat, cum primis circa Loangam. Abest autem octo gradibus ab Æquinoctiali linea versus Polum Antarcticum: abundat pomis, omnibusq; fructibus arboreis, quos terra illa præ aliis affluentia & bonitate præstantes gignit, mellis insuper ibi ingens copia, quod nulla ope humana curatur, sed è siluis colligitur. Apes enim ob abundantiam præstantissimarum herbarum & florum largam ibi inueniunt fauorum fabricandorum materiam. Syluæ gignunt temere aurata poma, limonias, mala citria, non secus ac apud nos glandes & syluestria poma pyraq; passim proueniunt, alijque insuper illis fructus quos Vannanas, Podaras (cum Barbaris loquendum est) Pacouas, Annanasas, sic enim appellant inusitatæ dulcedinis poma, quibuscum nulla in toto terrarum orbe componi possunt, larga in his copia prouenniunt.

Angolæ fertilitas.

In Loanga prouincia nullus nec boum nec equorum ad arationem usus, sed fœmineæ manus id omne præstare coguntur. Hæ igitur cum ad laborandum rus abeunt, infantes suos de tergo pendulos secum ferunt, quos ne in ipso opere quidem rustico deponunt, nec pueri iactationes illas quicquam morantur, sed placidè dormiunt in humeris maternis, haud secus ac nostri infantes cunarum agitatione sopiuntur. Lassitudine autem matres occupante, deponunt eos humi, substrato arboris folio, quibus folijs cum latitudine præcipua sint, capiti impositis pluuias arcent: quarum madore nihilo factæ segniores, pergunt in opere, & rure colendo, cuius hæc ferè est ratio.

Fœminæ iumentorum vice habitæ.

Sulcos deprimunt ad altitudinē cruris erecti, cumq; sementes faciunt, digitis, grana proiecta telluri imprimūt: nec enim vllis fossioni idoneis utuntur instrumentis, præter ligones perparuos, quibus humum suapte spōte mitem ac raram sarriunt. Ea est autem harum regionum felicitas, vt quatuor mensium spatio duabus lætentur messibus, vindemia autem earum nouem continuis duret mensibus, quibus, vti dictum, præstantissimum colligunt vinum, cæteris quæ restant mensibus anni tribus, vinum quidem colligunt, sed quod bonitate ab illo altero multum distat, mirè tamen salubre bibentibus, & in hoc nihil deterius, ipsi Angolenses Matumbam vocant.

Nec viris semper licet esse ociosis. Viniferarum arborum cultura, & vindemiæ tam diuturnæ labor illis incumbit. Cumq; piscationi fere omnes operam dent, quæ hic admodum frequens, haud longè ab litore casas suas construunt. Cæteri qui mediterranea ac interiora colunt, ferarum venationem, puta Bubalorum, Ceruorum, Caprearum ac Ibicum magna sedulitate nec minore emolumento exercent, confectis magno numero feris illis, sagittisq; ab neruo aut manu missis, traiectis.

Viri colunt arbores viniferas.

Postquam, præcipua terra nascentia persecuti sumus, iam de mercimoniis eorum, quorum gratia à peregrinis gentibus adeuntur aliquid dicen-

Merces Angensium.

cendum est. Vt igitur ab Elephantis ordiamur, sciendum est, ebur illos hac fere ratione adipisci. Igitur bestiæ illæ nonnunquam dentes suos abiiciunt, (siue cum veteribus cornua dicere mavis) quod tunc fit, cum longa senectute marcescunt, suntque inter illos dentes reperti, qui centum pondo ad lancem appensi superarent, vt ipse hisce oculis meis vidi. Et est hoc ebur præcipua pars mercimoniorum omnium, quæ inter ipsos agitantur. Inde enim non tantum omnis generis instrumenta & ornamenta, vti pectines, manubria cultrorum, gladiorum capuli, sed & pares marmoreis tabulæ, integræq; mensæ ac abaci rationales conficiuntur.

Elefantorum capiendorum modus.

Porro Elephantos intercepturi his fraudibus vtuntur. Vtuntur hæc grandia corpora vna fere via, cum aquatum eunt, quæ atratos nostros minime latet: Sic enim vnusquisque Elephantorum ingreditur, suamque peculiariter insistit viam, vt sedulo caueat, ne quem alium obuium habeat, ægre enim sibi inuicem de via decedunt. Hac igitur explorata semita Afri fossas defodiunt, easque egesta humo ad quindecim pedum altitudinem deprimunt. Moles igitur illa consueto itinere aquatum proficiscens, secura doli, in foveam illam delabitur; venatores autem fraudis machinatores, qui hactenus latuerant, celeriter prosilientes, captiuum animal misere trucidant, frequentibus missilibus, ab ipsis Assagaiis dictis, corpus eius traijcientes. Sic ille infelix vitæ suæ finem, hi vero ebur adipiscuntur. Caudæ insuper harum bestiarum magno venduntur precio, inque, exoticas regiones deferuntur, vnde monilia barbarica conficiuntur, & flabra pellendis muscis. Setæ in his Elephantorum caudis crassissimæ, firmissimæque, vt cum filamentis ferreis certare possint, vnde Angolenses fiscellas miræ pulchritudinis texere norunt, cuius generis alias reperire non est.

De Metallis Angolæ.

De metallis hæc fere habemus dicere. Aeris in maritimis regionibus prouentus nullus, ab longinquis oris ad illos defertur: quod nacti denuo fundunt, circulos inde exactæ rotunditatis fabricantes, quorum alij binas, trinas, quaternasue libras appendunt. His circulis æris ferrum, pannos laneos diuersorum colorum, globos vitreos qui corolia mentiuntur, & alia ludicra permutatione acquirunt, liberali satisfactione delinitis mercatoribus. Illæ enim nugæ sunt præcipua apud illos mundi muliebris pars, primiq; nominis ornatus, & quo plura eiusmodi fictitia coralia, siue globos vitreos brachiis sustinent, eo ornatiores prodire se existimant mulieres, adeo vt nonnunquam ponderi huic nugaci vix sint ferendo.

Irreligiositas Angolensium.

Cæterum sex illæ prouinciæ, quæ cohærent, cum vni Principi, nempe Regi Loangæ pareant, eadem superstitione ac idololatria, vel potius Dæmonolatria imbutæ sunt omnes. Nam miserrimi incolæ (horresco referens) ipsissimum Diabolum colunt & adorant, quem Maguschi vocant, à quo toti dependent, cui summa cum deuotione obtemperant, serio exequentes, quæcunque per sacerdotes & sacrificos suos ipsis imperat, qui sacrifici, veluti quidam mediatores ac interpretes sunt, inter infelicem populum & Spiritum hunc impurum, quem calamitosi isti homines Manna Maguschi appellant, cum gloriosius nomen haud inueniant, quidpe, quod soli regi principibusq; debetur. Cum autem Dæmonolatræ sint in vniuersum omnes, sæpe mirari subiit, quod in veneficos & incantatores tam rigide animaduertant, qui illa minorum puto gentium dæmonia colunt, quibus nomen Mannæ haudquaquam tribuitur. Ipse vero Maguschius hoc priuilegio à rege cohonestatur.

Res vxoria apud illos ad hunc modum habet. Accipiunt in matrimonium vel contubernium potius, mulieres quotquot ipsi volunt; quæ illis sunt instar mancipiorum, nec aliter habentur, quam in Hispania aut Asia bello capti aut ære emti Sclaui mancipes. Meminisse enim debes lector, quæ in superioribus de agricultura diximus; coli fodique agrum muliebri opera, sed & cætera seruitia illiberaliora ab ijs obiri; interim dum viri vinum ab arboribus legunt, & arbores illas putant coluntque, aut bonam temporis partem alea & compotationibus perdunt. Alij quidam vestes ipsis conficiunt, & fabrilia opera, qui ferè sunt eorum opifices. Exoleti autem, & senio ad capulum redacti, vt & cæci habent & ipsi quod agant: nam qui minimum præstant, fabrorum folles ductu manuum sublatos ventis implent, vt ita vel solum panem lucrentur. Nullos propè hic videre licet mendicos: quotquot enim viribus ac membris sunt integri, ijs satis superque alimoniæ ad vitam necessariæ suppetit.

Officia senum & cæcorum.

Sunt autem in Loanga innumeri nobiles, ob eam potissimum causam quod rex tantum alat concubinarum numerum; omnibus his vestitus ad pulchritudinem suo more; quo induti magnificè de se sentiunt, incessus tarditate mentis grauitatē profitente. Quatuor enim pueris ingenuis comitati, cætera mancipia in templum suum deducunt, cum lata tabula Tapetica, ab vtroq; verò latere, duo incedunt, ferentes, velut vannos quosdam aut ventilabra, quibus heris suis æstu anhelantibus ventulum faciunt. Hos seruorum ingens multitudo sequitur, quorum nonnulli tres quatuorve Callabassas vino plenas portant (Callabassas autem vocāt cantharos siue vasa capaciora, quæ sunt fructus quidam, exterius crocei coloris, interius candore vincentes quodvis argentum) Aulæ autem regiæ propinquiores facti, expandunt aulæū illud humi, cōsiduntq; ordine: qui primo loco inter ipsos est medium occupat, quem cingit mancipiorum aut voluntariorum multitudo: hac ratione multoties fit, vt bis centum nobiles conueniant, quandoque etiam plures, quibus si addas seruorum addictorumq; cohortes, facile tria capitum millia numerabis. Sunt autem hi ferè omnes spectatæ in tota natione virtutis, agilitatis & dexteritatis mirandæ.

Conuiuia nobilium in Loanga.

Cæterum cum vna prandent cænantq;, nullis insident scamnis aut sedilibus, sed humi, instar eorum, qui fiscellas iunco virgultisq; texunt, cruribus in quincuncem sibi incumbentibus, femoribusq; diuaricatis. Confabulantibus autem inter cœnandum heris, famuli præsto sunt, potum è Calabassa petitum ipsis continuo offerentes.

Ipsius regis tanta est Maiestas, vel potius morositas, vti singulis annis non nisi ter quaterue in publicum prodeat, quo tempore admittit litigantes, eorumque controuersias vtcunq; decidit. Sedet ibi solus, ad eum, qui supra dictus est, modum, iuxtaq; eum Maguschius ille, bellissimus pusio. Qui capiente rege poculum, clara voce pronunciat, morituros è vestigio omnes quotquot Regem bibentem viderint. Qui adsunt, his tam formidabilibus verbis auditis, humi celeriter se prosternunt, faciemq; proni tantisper occulunt, donec rex spumantem pateram eduxerit. Ibi leuato terra corpore, complosisque manibus barbarico fremitu acclamant, SACARELLA SACARELLA MANNA LOANGA: quod est si interpreteris, multum gaudemus nobis, & gratulamur nostro regi. Durant autem hæc conuiuia in multam vsque noctem, donec signo dato Regij satellites cum tympanis tubisque è cornibus animalium fabrefactis, adsint, vbi nihil auribus amicum, sed confusus sonus atque fremitus tantum auditur. Quod si quis vel casu, aut per

Regem bibentem videre capitale & exitiosum.

imprudentiam regem bibentem videat, certissimum est, illum celeri morte vitæ eximi: cuius à Dæmonio occisi cruore rex inungitur, quo significant, regi hac ratione restitui honorem suum, cuius maiestas, non parum læsa existimatur. Quin & ipse ego coram tale documentum oculis hisce meis adspexi. Cum enim filiolus regis, puer (novem annorum patre bibente corruisset cum alijs, inclinata in terram facie, & diuturnioris moræ, puerili ratione impatiens, citius paulo leuato corpore quam par erat, in patris adhuc bibentis amplexus irruisset, confestim Manna Maguschius exclamauit: Ergo puero huic moriendum est. nec verba hæc tam immania caruerunt effectu: in conspectu enim patris regis misello huic infanti caput securi fractum, cerebrumq; dispersum est, incerto authore. Cruore autem interemti pueri ipse Maguschius regis nudum brachium inunxit.

Sathanas infanticida.

Nec hoc meo iudicio omittendum hoc loco, si quem è primo principum ordine, aut regem adeo ipsum mori contingat, tanta formido tantusque horror consanguineos eius ac necessarios inuadit (inter quos nonnulli etiam sunt venefici, & incantatores) vt morte illius intellecta, summa cum trepidatione velut lymphatici exclament, moriamur cum eo; ego quidem illi superstes esse nolo. quod si quis tergiversetur aut aperte renuat, sine mora Magus & veneficus pronunciatur. Qui si neget, & in criminatores suos conuicium retorqueat, aliud probandi criminis medium non habent, nisi quod è vestigio Sathanam consulunt, qui illis medicatam potionem exhibet (ipsi Gombam nominant) quam is, qui criminis arguitur, sumere necesse habet. qui si delicti sibi conscius sit, hausto pharmaco, statim corruit, similis deliquium animi patienti; si sceleri affinis non sit, vrinam facere cogitur, cæterum sine noxa, aut vitæ periculo. Conuictus autem flagitij crudeliter cæditur, vsq; ad mortem, quin manibus pedibusq; sine misericordia auulsis, horribiliter laceratur.

Experimentum peruestigandi crimina.

Cur autem cum rege & magnatibus mortem oppetant, causa notanda est: quod mendax Spiritus per seruos suos sacrificos, quibus plena fides apud plebem constat, populo denunciat, defunctos simulatq; extremum halitum emiserint, in aliam regionem migrare, vbi pariter imperitaturi sint multitudini, vt antea, consentaneum igitur esse, vt & ibi seruis ac ministeriis instructi dominentur, nec solum à plebeiis, sed & nobilibus ac illustribus regali magnificentia colantur.

Conditio Afrorum post hanc vitam.

Defuncto ad hunc modum viro principe, propinqui eius, quibus & ipsis ex disciplina Angolensi moriendum est, epulum suo more magnificum instruunt, ad quod quidquid est virorum honoratiorum conuocant, quibus haud grauatè conuenientibus, causam instituti conuiuij aperiunt: conuiuæ audientes hoc, morituros laudibus ad cœlum efferunt, ob fidem & amorem in defunctos rarissimum, quo finito encomio, indulgent epulis poculisque. Cum autem Dæmonio commodum visum est, adest ipse citius, ferens potionē præsentissimi veneni, quam propinat tribus quatuor ue ex numero periturorum, vt & denis duodenisq; mancipiis: tandem etiam sacrificis cum mulieribus eorum. qui omnes vi tam salutaris poculi, quod à Deastro suo perceperunt, suffocati, continuo mortui in terram decidunt, est autem ipsa potio mixtura quædam aut sanies è venenatis radicibus ac herbis Diabolico ministerio expressa.

Diaboli impudentia in perpetrandis homicidiis.

Ceremonias eorum atque superstitiones operosiores silentio inuoluam, ne nimium excrescat sermo: quod ita faciam, si vnum hoc commemoravero, Æthiopes hosce circumcisionem admittere, instar Iudæorum & Tur-

Turcarum. In ædibus ſuis priuatis varias Diaboli effigies habent pictas fictaſque, quibus venerantur ipſum, libantes vini pocula, quæ effundunt, ſacrificium hoc modo offerentes idolis & idolorum patri. Sed & hinc inde delubra ac Lararia perexigua in compitis ac triviis extructa ſunt, quæ ipſi Maggaſethi vocant, id eſt ædiculas Cacodæmonis, vbi comparere Seductor Spiritus ſolet, quoties ab ipſis evocatur. Delubra illa eandem quam domus ipſorum præ ſe ferunt ſpeciem, niſi quod intergerino pariete in medio diuidantur, & per oſtiolum exiguum admodum intro rependum potius eſt quam eundum.

Humanas inſuper victimas eos offerre certiſſimum eſt, idque hoc potiſſimum modo fit. Qui morbo grauiori affligitur, votum facit, ſe Dæmoni vnum è mancipijs ſuis ſacrificaturum ſi æger conualeſcat: eſtque tanta voti religio, vt quenquam fefelliſſe ab omni æuo non ſit auditum. Seruos enim miſeros crudeliſſimè trucidatos enectoſque ita demum in lararium illud collocant, donec Homicidæ ſpiritui viſum fuerit, cadauera illa auferre. Quod ſi cuiuſdam præterea voti ſe reos fecerunt, nihil antiquius habent aut prius, quam illud religioſiſſimè diſſoluere. Et hactenus quidem de Regno Banſa Loanga.

Vota humanis hoſtiis perſoluenda.

Iam porro ad Congi regnum conuertendus eſt ſermo noſter. Eſt autem immanis huius regni vaſtitas & amplitudo, quippe quod à prægrandi fluuio Congo ad vſque oppidum Loando, ipſumque adeo extremum Africæ promontorium, quod Caput bonæ ſpei dicitur, ſe extendat. Sciendum autem populos huius regni tam immanis Chriſtum profiteri, Romanenſium more. Initium huius incidit inter octauum & nonum eleuationis Poli gradum verſus antarcticum ab Æquatore, diſtatque ab Hollandia miliaribus Germanicis, bis mille quingentis. Ita nos illum fluuium Congum ingreſſi ſumus, vbi aquas ſuas in Oceanum Æthiopicum exonerat, latitudinis ſex milliarium, quo loco etiam diuortijs aquarum ſuarum regiones diuidit. Hinc enim rex Banſæ Loangæ imperat, illinc Rex Congi. Nobis nihil plus admirationis attulit quam præceps & celer fluuij decurſus, qui nobis traiecturis per oſtium illius multum exhibuit negocij.

Tandem igitur munera ferentes & dona, terra potiti ſumus, cum ea impudenter ſatis à nobis exegiſſent pro principe ſuo, Manna Songi: cui obtulimus bipennes duas ex haſtarum genere, duo tympana, duoſque pauones.

Prouinciæ Songæ incolæ ſtaturæ ſunt mediocris, non tamen adeo validi ac lacertoſi, quam Loangani, comes tamen & affabiles Chriſtianis: quin multo plus ipſis exhibituri beneuolentiæ, niſi Hiſpanorum mendacijs plus ſatis fidei adhiberent, impudenter affirmantium (ſcilicet vt nos in imperitorum odium adducant, cum diuerſam ab alijs profiteamur religionem) Batauos, adeoque omnes peregrinos populos Piratas eſſe & plagiarios, qui homines in æternam ſeruitutem abripiant. Ad cuius rei fidem faciendam multum faciunt quidam nauiculatores Galli, qui mare illud latrocinijs furtiſq; infame reddunt, nullumque omnino mercimonij genus exercent, ſolo raptu & plagio viuentes.

Cum autem nauis noſtra ad ſeptem menſes cum celoce ibi hæſiſſet, contracta diuturnitate temporis familiaritate, animum noſtrum ſatis explora-

plorauerunt,deposita ergo sinistra suspicione, omni nos officij genere prosecuti sunt. Quin etiam quoties animaduerterent, Hispanos malignitate animi sui nefaria contra nos agitare consilia, non solum per idoneos homines nobis significauerunt, cautè ageremus,ac caueremus periculo:sed & se nobis defensioni adfuturos vltro adfirmauerunt. Cum enim CastellumHispanorum non nisi triginta milliaribus supra hunc locum situm sit,nostris laborantibus celeriter adesse possunt, quod & strenuè fecerunt Septembri mense,anno post Christum natum supra millesimum sexcentesimo duodecimo. Eo enim tempore Hispani unanimi consilio statuerunt nos inuadere. Sed regni Congi & Songæ provinciæ incolæ clam nostros monuere, vt vigilaremus,imminere enim periculum. Nec multum aberamus tunc ab extrema pernicie. Vtrumq; enim nauigiũ nostrate scatebat ægris ac male affectis militibus, vt ex omni numero plures vigintiquinq; validos &armipotentes non haberemus,in his consistebat omne robur nostrum militare: vt nõ fuerit Hispanis metuendum à valida nostrorum resistentia. Deus autem Afrorum corda in nostri fauorem flexit, adeò vt cum Hispani nos quatuor nauibus,quas ipsi Caravellas appellant, quibus trecenti armati veherentur, adorti essent:Songani nobis tam bonam &fidelem operam præstiterint,vtHispani eorum alacritate territi Portum Loandæ repetere coactifuerint,postquam multos è suis perdidissent,plures autem sauciatos traherent. Alia vice cum navis Hispanica ex improuiso in nos incidisset, coegimus nauigantes, quicquid haberent pyrij pulueris, vini Hispanici & Canariensis, & dulcis conditura, quæ sanis pariter ac ægrotis arridet, nobis sine mora darent; quod si tergiversantes eos & negantibus similes deprehendimus,duplicatus ijs impositus est censns.

Afri Batauis amici.

De fluuio autem Congo,quid mihi videatur, percensebo:credo igitur milliarium mille spacio grandius flumen non reperiri. Piscibus ditissimus est in cuius alueo non solum noti generis ingentes pisces, qui exiguo labore quotidie capiuntur,sed& Hippopotamos inuenire datur, qui viceni aut viceniquini quandoq; se offerunt conspectui, quod eo verius affirmare possum,cum ipse his oculis meis hæc quæ narro,arbitratus fuerim.

Ex eiusdem fluuij alueo aliquando prodeunt pabulatum monstra quędam vaccæ marinæ dicta, vt & Crocodili (ipsi Gaymanos barbaro ore vocant)Xiphij pisces,& prægrandes Presteres. Hippopotamis (siue Equis marinis,si modo ijdem sunt cum istis)non ea est corporis facies,qualis apud nos fingitur pingiturque,nec abnuerim,quaternos illis pedes esse, modo obseruent,posteriores anterioribus haudquaquam respondere. Breuiores multo quippe sunt & latiores,sine fissuris & vngulis, quales ex volucrum natione Platipodes ferè obtinent, ijs ergo posterioribus vtuntur adnatandum. Pellis illis potissima sui parte glabra & depilis, linea lata nigri coloris illis à capite ad extremum vsq; corpus porrigitur,colla ipsis iubata. Caput æquat magnitudine tria vulgaria capita equina. Dentes illis in inferiore mandibulo prægrantes,suntq; nonnulli reperti, qui decem aut duodecim libras ad lançem appenderent. Candore eximio vincunt nitidissimum ebur, suntq; habiles ad capulos,manubria & omnia id genus instrumenta.

Vaccarum marinarum caro palato ac ventriculo gratissima est, quæ causa est,quod studiose ab incolis intercipiuntur. Circa vesperam enim, valè aquis dicto,in vicina fluuio pascua egrediuntur,pabuli gratia,vt nostrates siue terrestres vaccæ. Primo autem quoq;strepitu audito,illico trepidę profunda fluuij repetunt,cum vitulis suis,quæ res adsuetis risum, peregrinis admirationem parit.

Cæte-

Cæterum ipſius Rogni Congi ingens fertilitas & abundantia omnium rerum, nec auri argentique metallis caret. Prohibet autem incolarum ſedulitas hæc malorum irritamenta latebris ſuis euere: allata cauſa, quod ſi Hiſpanorum auaritiæ innoteſcant abſconditi theſauri, non conquieturos, donec per ſummum nefas vi et armis terra tam prægnante potirentur. Non eſt tamen diſſimulandum, ipſam Morboniam videri hoc regnum, ob aëris inſalubritatem maximam, (ſiue quis aquis vel alij cauſæ adſcribere velit, nos non pugnabimus) præter enim varios, noſtroque orbi inauditos morbos alia quadam peſtis illos affligat, quam ipſi Pyſi ſua lingua nominant: quæ talis eſt. Vermiculi exigui, quales in caſeis vetuſtate putridis regnant, ſubnaſcuntur homini in inteſtino recto, circa extremum eius orificium, vt & ſub vnguibus digitorum: eſtque tanta mali vis & acerbitas, ut niſi caueatur malo tempeſtiue, intra tertium vel quartum diem perpetuis eroſionibus carnibus circa Sphincterem omnia ita nudentur, vt ad recipiendum pugnum humanum turpi hiatu pateant. Quod ſi fiat, nonus dies certam homini moriendi neceſſitatem adfert. Sed hoc malum primo ſuo inſultu clandeſtinum latenſque eſt, adeo vt multos emori contingat antequam morbi cauſa perfectè cognoſcatur. Summa medicinæ in hoc conſiſtit, vt limonium pomum per medium ſectum, vel decorticatum integrum ano inſecatur, cuius occulta vi & acrimonia necatis beſtiolis tam noxijs æger valetudini priſtinæ reſtitui poteſt. Sed ſi vnquam alias, hic certe periculum in mora eſt, cunctatio enim præſens mors; cæteroquin ingenti periculo promtum & facile remedium, ac vbique obvium natura commonſtrauit.

De Religione Conganorum ſciendum, illos non diffiteri, ſe Luſitanorum opera ab erroribus ſuis ad Chriſtum converſos eſſe, cæterum aiunt, in illa actione fraudem dolumque interueniſſe: multoties enim eos ſub hoc prætextu conatos fuiſſe, proculcata libertate civium regni totius poſſeſſionem invadere, ſed conatu ſemper irrito. Iſtud ſatis conſtat, quoties propugnaculum aut aliquod munimentum firmius vallo & aggere moliti fuerunt, indigenas mira prudentia omnia velut diſſimulanter diruiſſe & ſolo æquaſſe. Animoſi enim ſatis ſunt, ad hæc & maiora audenda. Quin & plures quam quinquaginta anni ſunt, cum ijdem Luſitani Caſtellum aliquod ibi locorum excitarunt, quod tamen ſuccedentibus annis ab Afris diſiectum ac complanatum, libertati ipſorum inſidiari deſijt. Deſperata igitur militia monachi facti ſunt Luſitani, id eſt collectis ruderibus Sacellum extruxerunt, cuius frontiſpicio inſignia Sebaſtiani Regis Portugalliæ affixerunt, nominaturque area illa in hunc vſque diem PATRONVS: fuit enim hic locus omnium commodiſſimus ad ipſum fluuium Congum, vnde omnes naves, quotquot adverſum flumen ſubiere, acceſſu prohiberi potuerunt. Deleto hoc Caſtello in Inſula quadam inani & habitatoribus vacua aliquid Caſtro ſimile moliti ſunt Iberi, ſed eodem euentu. Suſpectus enim libertati popularium locus cito in ruinam datus ſpem ædificantium eluſit.

Conganorum præcipua ac ſpectata prædicatur in bello fides, induſtria ſingularis, & famis ſitiſque vix credenda tolerantia: Tabaci enim herbæ (ipſi Mackay vocant) folijs quibuſdam ſiccatis, minutatim conciſis incenſiſque fumum tubulis hauriunt, quæ res famem ſitimque morari non vana fide creditur.

Princeps

Princeps Songanæ regionis tantæ eſt potentiæ, vt aliquoties ipſi Regi bellum mouerit, quoties nempe animaduertit, Regem Congi Luſitanis plus nimio fidere atque indulgere. Rex enim longe ab litore aulam habet, quinquaginta circiter milliaribus, in ipſa nempe vrbe Congo. Alit ibi Epiſcopum regni ſui, natione Luſitanum. O quoties vaferrimi hominum Luſitani regem blanditijs palpisq; obruerunt, donec expugnata eius pertinacia aliquid terrarum adepti in ſuam poteſtatem redegerunt. Mox ducem ſibi belli aduerſus regem callidè elegerunt, Comitem Songenſem, hominem quovis carbone nigriorem, qui regi bellum indixit. Hunc Luſitani Don-Ferdinandum appellauerunt, Afri verò Manna Songo, quod eſt Principem Songanæ regionis. Homini ſupra fidem longa ſenectus, quippe qui centeſimum quinquageſimum annum ſuperauerit viuendo. Oculos amiſerat ſenio, cæterum tam cruda viridiq; ſenecta, vt longiſſima itinera pedes confecerit, nihil cedens hac in re iuuenibus. Ingredientem duo viri præiuerunt, qui talitris crepitibuſque digitorum ſequenti innuerunt, quem ſonum ille ſequutus eſt. Erant ipſi filij, viri robuſtiſſimi, & gigantibus haud inique conferendi, quibus mira ferebatur eſſe tractandorum armorum ſcientia. Veſtibus vtuntur ab iliis ſiue coſtis mendoſis vſque ad talos deſcendentibus, pectus omneſque corporis partes ſuperiores nudi, præterquam cum cœlum pluuias aut gignit aut minatur, ibi enim amiculo aut tenui chlamyde teguntur. Ipſius principis liberi mitellis caput operiunt, quæ ob texturæ incredibile artificium & decus inter res raras & precioſas numerantur. Noſtro autem tempore nobilitas atris pileis latioribus ſiue petaſis adſueuit, quibus à noſtris mercatoribus acquiſitis capita tegunt. Lingua Luſitanorum illis non ignota, quam melius loquendo proferunt, quam vicini populi, qui parum aut nihil ſtudij in illa perdiſcenda collocant. Cauſa eſt non ſolum quotidiana cum Luſitanis conuerſatio, ſed & quia preces ſuas Luſitanorum idiomate proferre edocti fuerunt: habent enim ludimoderatores, ludoſque ſuos, in quibus tamen non Afrorum ſed Luſitanorum & Caſtilienſium lingua diſcentes erudiuntur, ſicut in ipſa Hiſpania. Congenſium enim idioma horridius ac incultius nec apprehendi facile, nec ſcriptura aut litteris vllis commode exprimi poteſt.

De pecunijs eorum monendum puto lectorem, eos nec auro nec argento aut ære ſignato quicquam mercari ſolere, ſed minutis cochlearum exiguarum domicilijs ſiue teſtulis, quas cornu parui inſtar curuatas indigenæ Simbas vocitant, quæ millenario numerantur numero. Eſtq; hæc emendi vendendique ratio, quamuis nobis videatur perridicula, apud illos tantæ æſtimationis, vt adnumeratis nugis illis mercari poſſis, cuiuſcunque tibi vſus fuerit. etiam ſericum & precioſas veſtes ac materiam exornandis templorum parietibus aptam. Naues, quæ ex Maiombæ regno, (cuius ſupra à nobis facta eſt mentio) huc appellunt, ſecum ferunt lignum Daculum vocatum, quod in magno apud Congẽſes eſt precio, cum eo in medicina, vt & in conficienda tinctura pigmentiſque frequenter vtantur. Præcipua ac pene vnica apud ipſos Mercimoniorũ ratio verſatur circa Ebur, quo abundant, poſt hoc pelles Pantherarum & Leopardorum, quorum largus eſt per Angolæ regnum prouentus Hæc autem de indigenis Afris ſolum dicta ſunto. Nam Hiſpanis ac Luſitanis multo plus lucri inde emergit, quod terreſtri itinere in Orientalem Indiam, Goam vſque, inde ad Malabares & regionem Choromandellam peruadere poſſunt, quod quidem iter, ſi cætera conſtent, quinque aut ſex ſeptimanarum ſpacio conficere poſſunt.

In vniuerſo Angolæ regno equos nullos reperire eſt. Quisquis igitur longius iter perſequi in animo habet, nec ſatis valet ab pedibus, quod Luſi-

tanis non eſt infrequens, mancipiorum opera in rete firmiſſimum collocatus, quod Afri Hammacha nuncupant, de loco in locum portatur, binis ſeruis ſingulos humeris baiulantibus.

Mira multa quæ narrauimus, nec tamen minus admirationis habet belligerandi ratio, qua Rex Congi & Princeps Songanorum contra hoſtes ſuos vtuntur. Quod ſi enim eorum vterq; vel alteruter in aciem prodeat, Luſitani è ſuis præſidiariis militibus quos in Caſtello Loando in ſtatione habent, octoginta aut centum expeditos illi adiungunt. Quod ſi contingat Luſitanos victoriam reportare, quidquid hoſtium viuum capi poteſt, capitur, id omne poſtmodum Chriſtianis cedit in ſtipendium militiæ & præmium fortitudinis: qui captos illos magni diuendunt, præſertim iuniores, adeo vt precium eorum quandoque ad centum ducatos adſcendat. Cum triumpho ergo & tripudiis domum re bene geſta repetunt. Cum enim illi populi nec auro nec argento diuites ſint, corporum ſuorum robur & membrorum firmitudinem in præcipuis diuitiis collocant. Si autem ipſi Congenſes vincant,



quidquid nanciſcuntur hoſtium, è veſtigio mactant, carneſq; eorum devorant: ſolent enim & cæteroquin humanis veſci carnibus. In eo autem potiſſimum ſe viros fortes ac bellicoſos præſtitiſſe autumant, quo quis pluribus ex hoſtium numero virilia cultro amputauerit, quæ miſeris amputata diligen-

 ter col-

ter colligunt,funiculoq; ordine dependentia collo circumiſciunt,inque pe-ctus demittunt,ſcilicet vt omnibus planum faciant, quantum inimicorum numerum meliore ſui parte victor ſpoliauerit. Verenda autem illa humana longo tempore aſſeruant, haut ſecus ac precioſa quædam Cimelia, gloriæ ac oſtentationis inſtrumenta. Quoties enim feſtum aliquod agitant, aut hilaria iunctim peragunt, ſuo ſe quiſque modo quam optimè comit ornatque. proferuntur deinde illa fortitudinis τεκμήρια,& collo appenduntur, ad inſtar torquis,monilis precioſi aut velleris aurei. Et quis, quæſo te lector,non miretur hanc ſuperbiam?

Raro tamen res inter ipſos ad prælium pugnamq; apertam redit: nimis enim horrent bombardarum ac ſclopetorum ictus ac ignita tonitura, quæ non nugatorijs plagis contactos feriunt. Aſtu igitur, rem hoc modo agunt. Cum Afri hi diuortio ingentis fluuij, cui idem cum regno toto & primario oppido nomen,ab ſe inuicem ſeparentur, inſidentes Canois ſuis,(vti ipſi vocant, ſunt autem parua nauigia μονόξυλα,ſiue lintres,quibus pro ſcaphis aut cymbis vtuntur,quadraginta aut quinquaginta virorum capacibus) traiectoq; fluuio in loco quopiam faciendis inſidiis apto, conſidunt. Quod ſi nemo ab altera ripa aduenientes ſentiat, felices ſunt; multoties enim contigit eos ad octoginta vel centum capita hoſtilia rapere. quod ſi maior hoſtium captiuorum copia ſit, quam vt omnes traiicere fluuium commodè queant, mox interficiunt, cæſisq; virilia exſecant. quos vero in patrium ſolum auferre ſecum poſſunt, iugulatos inſtar pecudum aſſoſq; auide deglutiunt,ſicut nos ferinam.

In hoc fluuio tam magno tamque celebri nauis noſtra mercimonijs Africanis oneranda ad ſeptem menſes commorata eſt. Celoce tamen interim aliquoties vſi ſumus, quoties altius & ad interiora, ad oppidum vſque *Songanum* nobis fuit adſcendendum.

FINIS primæ nauigationis Samuelis Brunonis ciuis & Chirurgi Baſileenſis in Africæ regiones, vicinaſque Inſulas.

SECVNDA

SECVNDA NAVIGATIO SAMUELIS BRUNONIS CIVIS ET CHIRURGI BASILEENSIS: IN AFRICÆ regna, Guineenſe, Beninenſe & alias complures prouincias atq; Inſulas.

QVOD caſtra, militiamque ſequentibus accidit, vt euitatis belli periculis, compoſitis rebus domum dimiſſi, exautoratique, non conquieſcant, ſed nouum Ducem novaq; caſtra ac copias, quibus ſe denuo adiungant, perveſtigent, bis ad eundem lapidem, quod aiunt offenſuri: idem mihi quoque contigit, vt ereptus variis periculis, quibus mare præ cæteris Elementis prægnans & fœcundum eſt, non acquieuerim, ſed velut rem aliquam dulcem, non ſalſum pontum aut amaram Dorida deguſtauerim, rurſus in animum induxerim, Oceani fluctibus Neptunique fidei, valde licet dubiæ me concredere, quod & ſine mora feci. Anno enim à nato bono publico ſupra milleſimum ſexcenteſimo decimo quarto, cum priorem illum nauclerum nactus eſſem, quo cum ante triennium in Africæ regnum *Congum* nauigaueram, denuo cum eo pactus, interq; vectores receptus ſum. Ne autem in rebus notis moras nectam nauigationem ipſam recta ordiar.

Igitur vltimo die Martij menſis anni ſuperius commemorati nauem noſtram, cui nomen erat Albo cani ingreſſi, ab *Texelia Inſula* ſoluimus, multæque aliæ naues idem nobiſcum fecerunt. Sed cum diuerſas omnes regiones peterent, nullius ſocietate gaudere potuimus. Cum autem iam aliquantum prouectis tres naues Hiſpanicæ ſe in conſpectum dediſſent, nos ſanè, qui Piratas illis vehi arbitrabamur, non in exiguo metu fuimus, accedente præter ſolitudinem noſtram alio incommodo, quod nauis noſtra mercibus adeo onerata erat, vt ad machinas grandiores igniuomas acceſſus tormentorum magiſtris minimè pateret, vnde damnoſum ſed neceſſarium cepimus conſilium, faciendi iacturam. Quod quidem etſi acerbum ac lacrimabile remedium, aſſumendum nobis omnino fuiſſet, ſi res ad arma pugnamq; deueniſſet. Nec erat res noui aut nullius exempli futura, cum ſæpe fiat, vt nauigantes ab hoſtibus aut Piratis inuaſi, naui nimis obruta mercatorum bonis, reſiſtere & inuaſores viciſſim petere non queant, ſed ſeque, nauemque ſuam dedere cogantur. Et hæc eadem nobis planiſſime erat ſubeunda alea, niſi DEVS noſtri miſertus ſecundo vento nos huic periculo eripuiſſet.

Hac ſecunda nauigatione, nobis nec Inſulam vllam, nec partem terræ continentis, totis quindecim ſeptimanis videre contigit, quo tandem ſpacio finito, littori extremo Regni *Guineæ*, allapſi ſumus. Accolæ Oceani

 illius

illius à nostris QVAQVÆ vocitantur, non alia de causa, quam quod excipientes nos, & de aduentu gratulantes illa voce continuo inter loquendum vsi fuissent, subinde Quaquam ingeminantes. Iactis igitur anchoris ibi per biduum substitimus, vt cum illis negociaremur. Terra enim eorum multarum bonarum rerum ferax est. Nec tamen tutum est homini externo eorum ingratijs in littus egredi, admodum enim feri & inhumani sunt hi Barbari, nec peregrinos ferunt in sua regione. Ipsa terra non nimis edita est, iucunda tamen & amœna adspectu ob frequentes syluas, quas si eminus intuearis, tanta altitudinis æqualitate deprehendes, ac si apices ramorumque largiores prominentiæ forfice detonsæ essent.

Inhumanitas Quaquaensium.

Auri quidem hi QVAQVÆ parum possident, Gossipio autem abundant, vnde vestimenta sua sibi conficiunt, quæ cæruleo colore tingunt. Nec dubium est, vel hoc indicio, ipsos abundare pigmento indico, quanquam ad naues commercandi gratia nullum afferant. Telas suas quas è gossipio conficiunt, admodum coarctant, vt quatuor palmos latitudine non excedant, quibus strias lineasque latiores cærulei coloris intertexunt, illasque telas, quod sint non satis latæ, quinas senasque consuunt, vnde illis latitudo surgit construendis vestibus commoda. Has vestes corpori circumiiciunt, velut pallium. Crines eorum nigredine cum cute certant, suntque adeò prolixi, vt ad pedes vsque demittantur. Quos si circa tempora colligant, inque nodos cirrosque ligent, Turcicum pileum crassiorem non absurdè referunt. Vt autem & hic in simplicitate superbiam deprehendas, scito, illos, vt decus aliquod capillitio iungant, solere pilos albos nigerrimis intexere, ea quidem scientia, vt margaritas color albus mentiatur.

Tela horum Æthiopum.

Habitus Eorum.

Merces huius regionis, quibus negociantur, hæ fere sunt. Aurum, Ebur, vestes bombycinæ: quas nos à gentis vocabulo QVAQVAS appellare solemus. Ipsi ex omni nostrorum mercimoniorum genere aliud in permutatione non accipiunt, quàm baculos ferreos, annulos ex orichalco in ornamentum brachiorum: vitra & globulos perforatos funiculo dependentes. Parum tamen fidei apud illos inueniunt nostrates nautæ, quod Gallorum perfidia causata est. Galli enim multotiens persuasos vti ad se in naues suas venirent cum mercibus suis, spoliarunt omnibus rebus, nec satis ipsis hoc fuit, sed insuper raptos miseros, plagio ad furtum & periurium adiuncto, secum auectos vendiderunt. Cum enim robusti & lacertosi admodum sint hi Barbari, multo ære veneunt.

Mercimonia Quaquarum

Quod si mare ingressuri sunt permutandæ mercis gratia, non alijs vtuntur scaphis lintribusque quàm his. Ligna grandiora trabesque quinque aut sex firmis connectunt vinculis, quibus mare ingredi audent, quanquam in illo littore sit satis importunum, fluctusque cieat decumanos tanta ferocia, vt non satis mirari queas, quo pacto hi Afri incolumes ire ac redire possint.

Affine octoginta ferè milliaribus abest à *Quaquaensium regione*, ibi mercatores aurum pro mercibus adipisci incipiunt. Vnde Castrũ Lusitani haud longe à portu extruxerunt, cui nomen Asim imposuere. Non exiguo igitur cum periculo hoc in loco mercaturam exercuimus. Dicti enim Lusitani animaduersis peregrinis, puta Hollandicis nauibus, conscensis è vestigio triremibus suis aduolant. Sed à nostris hominibus sæpe ita excipiuntur, vt pro præda spolijsq; vulnera mortemq; referant.

Nos

Nos leuatis Anchoris prouecti sumus vsque ad promontorium siue caput, *Aues Pintes* dictum, quod tribus apicibus in Oceanum excurrit. Inde vsque ad locum Commendo vocatum, donec nobis se ostenderit Lusitanorum *Castrum* munitissimum, *Mina* dictum. Quod præteruecti ad *Castellum* vsque *Nassouicum* peruenimus, vbi naues quasdam Hollandicas in statione inuenimus, sub ipsius Castelli fundamentis. Quas primo conspicati tribus tonitruis è grandioribus machinis salutauimus, honoris habendi ergo. Ipsi verò eundem nobis habuerunt honorem, totidem explosis tormentis.

Castellum Mina.

Castellum Nassau.

Altero die vela ventis dedimus, sumusque ventorum beneficio assecuti *Caramandinam*, vbi classem numerosam Batauorum offendimus, in qua erant naues quatuor è nostra societate. Cum autem nostra nauis velis, antennis, omnique instrumento nautico optimè instructa esset, nec nimis vasta ac ponderosa, iussus est nauarchus noster celeriter præire, donec *Accaranam* regionem attingeremus, ciuitatemque eius nominis appelleremus, quæ vltima est earum, vbi aurum reperitur. Hic sex circiter septimanis hæsimus, exercendæ mercaturæ gratia. Ita negociati sumus cum incolis Afris, sed in naui nostra subsistentes, illisque merces suas adferentibus. Nec enim tutum erat res ac mercimonia nostra in terra venum exponere, ob bellum gliscens inter *Accaranos* eorumque vicinos. Hi autem *Accarani*, de quibus nobis sermo instituitur, grandi corpore non sunt, celeritate tamen & agilitate in omnibus rebus admiranda. Religio horum atque superstitio eadem cum cæteris populis omnibus qui littus illud auriferum accolunt, vti deinceps explicabimus, cum ad descriptionem *Castelli Nassouici* nos ordo rei vocabit.

Accarana regio auro diues.

Nauigantes vicinum mare, vtuntur Canois suis, quod est nauigij genus μονόξυλον, velut linter è solido trunco excauatus: quos ita parare nouerunt, vt singulæ Canoæ vicenos aut ijs plures viros commode recipere possint. Vestibus alijs non vtuntur, quam supparo siue harpasto exiguo, quibus nates & partes verendas velare vix possunt, cætera omnia nudi. Sed mercatores *Acanenses*, qui præstantissimum aurum obryzum grandioribus massis, sexaginta aut septuaginta librarum pondere, ex *Acania* vsque negociandi gratia eo deferunt, præter dictum subligar lacernam quandam humeris injiciunt, quæ pallij vicem præstet. Ipsi suo modo magnificè incedunt, caterua mancipiorum comitati, vt singuli nonnunquam centenos post se trahant.

Equis enim, cæterisque iumentis *Acanienses* penitus carent, cumque aurum suum pro mercibus magni ponderis permutent, cuiusmodi sunt ferramenta omnis generis, vasa ex ære cyprio, pelues aheneæ, secures, cultrique grandiores, necesse est vt in deferendis ijs mancipiorum opera velut iumentorum vtantur, quorum humeris onera illa baiulanda imponunt, haud secus ac nos equis clitellariis aut asinis vtimur. Ita miseri illi longo ordine incedunt velut muli per alpium claustra, ferentes collo cornua loco tubarum, quæ inflant vbicunq; ipsis pernoctandum est.

Serui pro iumentis.

Aurum, quod eo adferunt Acanienses, exiguis membranulis inclusum est, certum idemque singulis pondus. Alia lingua non loquuntur quam sua, id est, *Acanensi*, vnde fit, vt cum peregrinis merces suas permutaturi *Accarensibus* vtantur interpretibus. Iidem illi mercatores *Acanienses* communi morbo negociatorum fraudulenter & captiose agere norunt, vt peregrinos circumscribant. Duplici enim vtuntur pondere, sed

occulte. cum enim emunt ipsi, maius appendunt; cum vendunt, minus. Ingressi autem nostras naues, fere morbum contrahunt: tenui enim suapte sponte sunt valetudine, nec vel minimas maris iactationes ferre norunt: celeriter ergo sese in siccum referunt, relictis suo loco interpretibus *Accarensibus*, quibus sua interim committunt negocia. Sed vt illi *Acanienses* exteris sæpe imponunt, ita talionis lege ab *Accarensibus* vicissim circumscribuntur. Quod si Acanienses negociatores in mercibus peregrinis parũ acquiescant, sed querelarum causas hinc inde conquirant, *Accarenses* interpretes & procuratores eorum, vt ipsis satisfaciant, sine mora naues nostras scaphis suis repetunt, vbi aliquantum vini adusti siue destillati nacti, *Acaniensibus* adferunt, quo degustato illico acquiescunt; eius enim liquoris incredibili desiderio tenentur.

Adusti vini siue distillati desiderium.

Cum autem in tertiam quartamue vsque septimanam ibi commoraremur, nouum exarsit bellm, inter Regem Attij regionis, & *Accarensem*, qui odio infensissimo se mutuo persequebantur. Commissoq; prælio rex *Accarensium* potissimam nobilitatis suæ ac copiarum partem amisit, vt ita turbatis rebus publicis Commercia exerceri desierint. Is igirur rex petiit ab Hollandis, vt viginti circiter aut viginti quinq; viros sibi è nauticis ministerijs permitterent: quorum opera in bello vteretur, se vnicuiq; tantum auri daturum quantum apud nos appendunt quatuor vnciæ, quæ constitunt ducatos triginta duos. Quod regis postulatum & promissum, postquam ad nautici vulgi aures allatum est, vnusquisque pro se expedire arma, instruere se prælio, aurum iam spe, victoriam opinione anticipare. Ptofecti igitur sunt cum mille *Accaranis* noctu, repertoque hosti musquetis suis tantum terroris intulerunt ut celeriter fugam arriperet: crediturq; tunc rex *Accaranorum* potiturus fuisse vniuerso regno hostili, si maioribus cum copiis adfuisset. Sexcenta enim prope capita hostium in triumpho præ se tulerunt Accarenses, cum tripudio lætum Pæana canentes domum reuersi. Inde gratiæ actæ Batauis, collaudataq; virtus eorum.

Illectum hac victoria regem cupido incessit, denuo inuadendi hostes ipse igitur profectus est in expeditionem, assumtis duodecim Batauis, conflictuq; inito victoria ab *Accarensium* partibus stare visa est. Cessit hostis impetui nostrorum hominum, seque in proximas syluas recepit. Nostris autem pugnando lassis, & æstu propè exanimatis, sitis etiam quouis malo molestior fuit. Repertis igitur aliquot vini Æthiopici cadis auide hauserunt, vt, hilaritatem ebrietas, ebrietatem negligentia & somnus sequeretur, præsertim cum hostem nullum animaduerterent. Cuius rei notitia cum ad *Attyenses* peruenisset, celeriter è re capto consilio circa noctis medium è siluarum latebris Accaranos inuasere, quorum potissimam partem vna cum Rege ipso, duodecimq; illis Hollandis trucidauerunt. Animus erat regi in fuga, sed præpeditus abdomine; (obesus enim admodum erat) deprehensus effugere insequentes non potuit. Grauis hæc accidit *Accarensibus* clades, cæsis circiter nongentis viris, cum rege ac Hollandis. Omnibus amputata capita, nec cadaueri regio parsum. qui effugerunt ex hac tam funesta clade apertè fassi sunt; nisi nostri homines, vt & ipsi Accarani tam præcipitanti festinatione spoliis ac ebrietati indulsissent, hanc stragem egregiè caueri, inq; hostes verti potuisse. Iidem illi profugi testati sunt, regem suum vltra duodecim auri libras secum tulisse, quod aurum omne fuerat inter Batauos distributurus, si contigisset illos victoriam reportare. Non contemnenda profecto summa, quippe quæ mille quingentos triginta sex ducatos constituat.

Cum

Cum igitur post prælium nihilo quietiores essent res publicæ, sed omnia gliscerent bello & latrocinijs, prohibiti sumus vlterius ibi commorari & commercia nostra agitare, vela igitur explicantes *Caramentinam*, contendimus, vbi peractis pauculis diebus, in *Benninense* regnum proras conuertimus.

Regnum autem *Benninense* inter amoenissima totius *Africæ* numerari iure potest, cuius solum cum alias multas res præstantissimas, tum inprimis piperis & Gossipij copiam profert, vnde incolæ telas pulcherrimas texunt, quæ ob sui præstantiam in varias orbis partes distractæ magno venduntur. Regnum hoc distat milliaribus circiter centum octoginta à *More*, vbi *Castrum Nassouium*, versus orientem. gignit feras omnis generis, sed insalubritas aeris infame facit, cum non exotici solum generis homines, sed etiam ipsi indigenæ frequētibus corripiantur ægritudinibus. Inter omnia autem illius partis Africæ Regna non inuenies vllum, quod pluribus superstitionibus & damnosioribus ceremonijs deditum sit quam hoc. Habent enim ipsi reges hic in more positum, Dæmonio suo vltra bis mille homines immolare. Dæmonium autem illud ipsi *Crycri vocant*. Adolescentes innuptæque puellæ & quicquid est florentioris ętatis totum corpus omnino nudi incedunt, ne pudenda quidem velati, eumque morem tantisper obseruant donec nubant. Ibi inueni permissum est, tot ducere vxores, quot voluerit. Contracto igitur matrimonio vtrinque vestiuntur more patrio vestibus è gossipio confectis. Assidua illis cum vicinis populis bella, quos in hostium censu habent, vt sunt Ambosij & Ancharani, è quibus, si quos, vt fieri assolet, capi detur in prælijs siue excursionibus, eos continuo ad suum, id est Beninensium regem perducunt, qui lætus hoc munere eos asseruari imperat, donec appetente solemni festo, cum omnia plausibus perstrepunt, miseros Diabolo offerat in holocaustum. Multum ibi sanguinis humani effunditur, vt qui vel solum cogitet hanc impietatem & sæuitiam, contristari ac obstupescere necesse habeat: quanquam ipsi Diabolo, Homicidæ antiquissimo, nihil hac crudelitate possit euenire gratius.

Humana hostia in Regno Benin.

Post hæc deserto regno *Beninensi* in prouinciam *Ambosinam & Camaronensem*, vt & ad fluuium *Rio de Anchara*, itemque *Rio del Ree* vela direximus: quæ duæ postremæ regiones has denominationes ab Lusitanis indeptæ sunt, quia amœnitate & salubritate præstantes amnes ibi in mare aquas suas deponunt. Cæterum hæc quatuor loca vbi longissimè distant extremitates eorum, sexaginta milliaria intercedunt, porriguntur que in orientem. Hic Mercurius parum fuit nobis propitius, nullum enim mercimonij genus hic offendimus, quod in rem nostram foret. Paupertas incolarum nihil habet, quod pro Europæis mercibus permutet, quam lapilli quoddam genus, quod ipsi vocant *Accarin*, incolæ nobis persuadere volebant, esse gemmarum quandam speciem. Crescit autem ad cautes & scopulos in ipsa Oceani crepidine velut *Coralion*. Si à longe adspicias, colorem qualis cœli vel aeris sudi est, præ se fert: Sin vero propius contempleris, videbis omnino esse viridis ac pellucidi coloris. Pro his siue gemmis, siue lapillis, siue quicquid tandem est, aliud non petunt Afri, quàm multitudinem minutarum illarum cochlearum, quæ, vt supra à nobis commemoratum est pecuniæ illis aut nummorum loco adnumerantur. Lapilli autem illi glauco prasini coloris in *Guineam* delati magno precio veneunt, adeò vt auro contra cari sint, pariq; auri pondere ad libram appenso æstimentur.

Accaris inter gemmas & lapillos Africanos.

Alterum

Mangones & Plagiarii, hominum emtores & venditores.

Alterum mercandi, genus inter ipſos vſitatum, eſt forum, non rerum, ſed hominum venalium. Vendunt hic magno numero homines, ex hoſtili agro excurſionibus raptos, omnis ætatis atq; ſexus. Nec magnum in hac auctione huic mercimonio precium. Hiſpanienſis vini menſuras tres quatuorve, vel duos cochlearum iſtarum pugillos ſi dederis, mancipium quantiuis precij mercaberis. Qui ita ſub haſta velut veneunt miſeri, nonnunquam ad mille milliaria emtores ſuos ſequuntur, vbi magno emolumento Mangonum & Plagiariorum horum centuplo venduntur, compertumq; eſt, fuiſſe qui mille ducatis æſtimarentur. Ipſi Amboſini & Camaronenſes nigro colore penitus ſunt, amabili tamen facie & decenti membrorum compage: quæ res nos commouit, vt quamuis ab Ordinibus nobis expreſſis verbis interdictum eſſet, ne quem hominem mercaremur, quatuor tamen pueros exquiſitæ pulchritudinis emptos Comiti mercatorum in noſtra navi dono dedérimus, quorum puerorum vicem nos illis vaſculum nouem menſurarum capax, vino Hiſpanienſi plenum dedimus. Comes ille noſter veſtimentis inſtruxit miſellos, nudi enim penitus erant: hos pueros poſtea nobis cum in Guineam aveximus, vbi ex diuturno cum noſtris vſu Batauorum linguam apprehenderunt.

Superſtitio horum Afrorum eadem eſt cum impietate Beninenſium, præterquam quod in ſacrificiis ſuis ab immolatione hominum abſtinent, malunt enim eos precio vendere, quam inutili mactatione perdere.

Porrò Amboſina prouincia ratione ſitus altior eſt quam omnes circumiecta regiones, vnde & abs re nomen acquiſiuit, vt à noſtris Alta Terra Amboſina appelletur, Hiſpani ita efferunt: La alta tierra de Amboſi.

Fertilis hæc regio ſatis eſt, & abundat prouentu multarum bonarum rerum, præterquam vini: cuius defectum ſupplent decocto quodam ex radicibus, quas barbari Gaiambas nominant, quod decoctum vinum ipſis repræſentat. Arridet palato, ob ſuauitatem, ſed aduerſatur ventriculo.

Culices pellendi per fumum ratio.

Domicilia eorum ruditer & omnino ſimpliciſſime ſtructa ſunt, folijs arborum cooperiuntur ad arcendas pluuias; cubile humus paleis ſtrata, vt luſtra & ſpelæa ferarum, nocte ignem ſed exiguum alunt in medio, iuxta vbi dormiunt, non ſane ad frigus arcendum, quod hic nullum ſentitur, ſed vt culices, grauiſſimos nuditatis ſuæ hoſtes, à quibus ſine intermiſſione ſterten tes infeſtantur, fumi beneficio vel enecent, vel in fugam pellant. hoc enim genus, vt notum eſt, fumum abominatur.

Regni Caponum deſcriptio.

Iam rerum ac hiſtoriæ ſeries nos ad regnum Caponum vocat, quod longo tractu in auſtrum extenditur. Amæna & ſuauis cum primis regio, quæ irriguis aquarum dulcium fontibus, & fluuiis perennibus vndique perluitur, abeſtque ab Amboſia ducentis viginti milliaribus, vnoque & dimidio gradu ab Æquinoctiali circulo verſus Arctum. Multi hic creantur Elephanti, vnde Ebur potiſſimum apud eos mercimonij genus. Pecuniæ vſus in hoc regno nullus, igitur qui merces eorum deſiderat, nigra mancipia ipſis in ſeruitudem tradat neceſſe eſt. Sparguntur in illo Oceano multæ Inſulæ minores, ſed non habitantur ab hominibus.

Caponenſes igitur loco ſcapharum aut actuariarum nauicularum lintribus vtuntur, è ſolido ligno fabricatis (Almadias & Malungos ipſi barbaro ore vocant) longitudinis mediocris, ita vt ſinguli ſeptuaginta vel octoginta viros commode recipere poſſint, horum beneficio ad naues accedunt itemque ex continente in inſulas & vice verſa ex inſulis in terram firmam traiiciunt. Multa frequenſq; illis bubalorum, Elephantorum aliarumq; minorum ferarum, venatio, Religio ſiue ſuperſtitio eadem, cum incolis Regni

Lona-

Loangæ, Gens ipſa malitioſa & ſubdola, cui qui fidere voluerit, ſe deceptum ſentiet. Tertio enim anno antequam nos eo appulimus, non contemnendæ magnitudinis naue Hollandos noſtros miro aſtu inter verterant, quæ octo grandioribus machinis igniuomis præter cætera arma fuerat inſtructa. Proditoriè autem hic acta fuere omnia & mala, id eſt Afra ſeu Punica fide. Vocatos enim & perbenignè inuitatos pleroſque è noſtris, vt in littus egrederentur, placide exceperunt, vinoque velut amicitiæ Symbolo obruerunt. quò poſtquam plenos partim etiam ſopitos animaduerterunt, irruerunt in nihil tale metuentes, ſuiſque illis præacutis ſeceſpitis trucidauerunt omnes. Inde hac laniena terra perpetrata *Almadijs* ſiue lintribus celeriter ad nauim acceſſerunt, recepti que pro amicis in ipſam nauem ſunt. Mox barbarica feritate & hos quoque adorti iugulauerunt omnes, ſic naue potiti ſunt, quam illicò ad littus remulcò tractam, vacuefecerunt. Inde machinas grandiores extraxerunt, inque littore conſtituerunt, cumque deprehenderent puluere pyrio onuſtas, admoto igne exploſerunt. Inde cum ſe magnificè efferrent, denuo impleuerunt, altera vice tonere volentes. Cum autem ſcientia tractandi haſce machinas deſtituerentur, tantam vim nitrati pulueris ingeſſerunt, vt duæ diſrumperentur; vnde vi ignis, & fragmentorum diſſilientium violentia circiter triginta ex eorum numero partim interfecti partim fœde lacerati ambuſtique ſunt. Cum autem ſuccedente tempore ad illos delati eſſemus, nec verbo nec facto nos læſerunt vllo, quin & ſuperius illud facinus de cæſis noſtris nauiq; in poteſtatē redacta, ita excuſare conati ſunt, vt dicerent, exiſtimaſſe ſe, illos ex Hiſpanorum gente longe omnium facinoroſiſſima fuiſſe, cuius rei adparuerint indicia permulta. Sed & à nobis petierunt, vt ſibi pulueris nitrati & globorum ferreorum modum aliquem largiremur, cum magiſtro tormentario, qui rationem tractandi machinas illas eos edoceret: contra polliciti, ſe ducentos dentes Elephantinos, quorum pondus bis mille libras ſuperaret nobis daturos. Nos autem vtrumq; illis negauimus, nec abſq; ratione, quia hoc nihil erat aliud quam præbere cultrum in manum ei qui te iugulaturus ſit. nacti enim efferi hi homines vſum tormentorum, ſpem nullam feciſſent nobis reliquam, poſthac ad portus & littora eorum adeundi: cum vel ſic cautione magna opus eſſet, quoties in terram egrederemur. Non tamen penitus ob negatam petitionem eorum inter nos omiſſa ſunt commercia. Emerunt enim ſuo modo, id eſt permutatione à nobis pannos telaſque, nec non ſeras aliquot penſiles, cultellos, & id genus ferream ſuppellectilem: pro quibus mercibus recepimus caudas & dentes Elephantorum ſiue Ebur.

Hollandi ab Afris dolo caſi & naue interuerſi.

Erat eo tempore nauis noſtra plena Æthiopibus, tam viris quam fœminis, ad quadringenta capita, allubeſcebatq; pulchra occaſio vindicandæ fraudis & perfidiæ, qua vſi fuerant ſuperioribus menſibus in noſtram gentem: nec vllus euadere potuiſſet ſi voluiſſemus & iure noſtro & viribus in eos vti: ſed abſtinuimus vindicta, iramq; iuſtam compeſcuimus, ne ijs qui poſt nos eò ex Batauia nauigaturi erant, exemplo noceremus. ita præter arbitrium ſaluos eos omnes dimiſimus.

Non ſemel quidem, & magnis precibus à *Comite* noſtro contenderunt, vti ſibi copiam faceret, interiora nauis pernoſcendi: nec enim ſe in hoſtium numero eſſe, ſed homines amico & beneuolo animo: ſed cum ſuperioris flagitij recens adhuc eſſet memoria, fidere ipſis ſtultum putauimus, & reuera erant *Canibales*, ſiue *Anthropophagi*, quod anteriores eorum dentes arguebant qui ſerræ alicuius inſtar pectinatim erant, ſeu lima ſeu alio aliquo inſtrumento exacuti.

Desertis igitur Barbaris hisce post aliquot dies *Ollibatam* & promontorium, quod vulgo *Capo Lopez Gonsalues* vocant, aduecti fuimus. Situs huius promontorij est, gradus vnus ab *Aequatore* versus *Antarcticum*. Totus hic *Aethiopiæ* tractus amœnissimus est, humilis quidem ac depressa tellus, sed iucundo adspectu ob syluarum semper viridantium copiam. Non tantum hic nobis erat periculi, quantum apud *Caponenses*. Ad *Ollibatam* cum appulissemus, exploso tormento signum præsentiæ nostræ dedimus, vt audito hoc tonitru ex ære cauo, aduolarent ad littus incolæ: duobus enim circiter milliaribus ab littore siue portu eorum villæ & habitationes absunt.

Altero igitur die cateruatim aduenerunt, cum vxoribus & liberis suis: excitatisque quibusdam in vicino littore tugurijs, pro more, quia à littore non abeunt, donec pergrinæ naues descendant, commercia nobiscum exercere cæperunt. Merx eorum non est alia quàm Ebur: pro quo nihil ipsi sibi quærunt quam mancipia & ferri massas. Mancipiis vtuntur ad bellum, ferro ad arma fabricanda.

Ollibatæ incolæ & soli qualitas.

Porro & superiore & hoc itinere, imo toto vitæ meæ tempore turpiores ac deformiores homines non vidi his *Aethiopibus*. Religione siue Dæmonolatria eadum sunt imbuti, qua *Angolenses*.

Terra quam incolunt, satis fœcunda ac ferax est omnium bonarum rerum, sed hæc soli indulgentia & bonitas illis in ignauiam cedit. Ab omni enim agrorum cultura abstinentes turpi ocio torpescunt, contenti varijs fructibus diuersarum arborum, quarum ne nomina quidem nobis in Europa nota sunt. Vinum etiam apud eos prouenit, commendabili bonitate. Ipsi *Mallafam* vocant.

Non abit annus, quin multæ naues ex diuersis Europæ nostræ partibus eo appellant, ex *Batauia, Gallia, Britannia, Hispania, Lusitania*, quarum potissima pars ad *Indos Orientales*, alij in *Guineam, Angolam & Insulas S. Thomæ & Principis* nauigant. Affluit enim hic tractus littoreus aquarum dulcium riuulis, præbetque lignorum affatim nutriendo igni. Est ibi insuper copia ferorum taurorum vaccarumque, quorum venatio promiscuè omnibus permissa. Terræ bonitas & fertilitas deprædicari satis non potest, quæ quo est melior, eo ignauiores & turpiores nebulones fert, moribus fœdissimis. Totius corporis cutis, quæ pice nigrior est, varijs rimis fissurisq; proscissa obscœnè hiat, haud secus ac *Heluetiorum* thoraces. Nec ipsa facies ab hac turpitudine immunis est, in qua præter varia stigmata rimas digitum longas circumferunt, qua re nihil fingi potest stultius.

Nostri blanditiis ab illis coluntur, non sane vt donaria alicuius precij ab ijs exambiant, sed vt linteolum aliquod dono accipiant, quod circum frontem & tempora ligent, nec magni faciunt, tenui an crasso stamine textum, vetus & detritum sit an recens, candorem solum & munditiem considerant.

Libido cum Aethiopicis mulieribus exitiosa.

Ad hanc scissæ ac rimosæ cutis fœditatem, quam sibi ipsis volentes conciliant manibus, accedit alia maior turpitudo: capris enim & passeribus salaciores mirum in modum flagrant libidinibus. Cumque cæteri Barbari ad conspectum nostrum fugiunt, hi vltro peregrinos sectantur: hominumque vilissimi velut Lenones & productores suas ipsi filias & vxores in naues delatas nostris offerunt, vt pro tam honorifico officio donariolum aliquod à nostris adipiscantur. Quod si quem *Priapimso* morem gerere è nostris contingat, expleta cum atratis illis bestiolis venere, mori eum paulo post necesse est. Nec certè vana huius rei fides: sex viri è naui nostra pauculo temporis

poris interuallo libidinem fœda morte soluerunt: cuius non alia causa quam consuetudo cum *Æthiophicis*, puellis. Seminis enim genitalis fluxus (medicis Gonorrhœa appellatur) tantus assiduè secutus est, vt exhausta natura sanguis sequeretur: sic eundem vitæ finem inuenerunt cum Satyro illo apud Hippocratem. Cui rei vt anteuerteret nauarchus, continuit nostros intra nauis pomœria, nec permisit illis, vt infelicem veneri terram calcarent, prætérquam cum aquatum aut lignatum irent, aut ad venationem, quo multi simul proficiscebantur. Nec tamen vel hac diligentia satis cauere huic malo potuit. Dimissi enim in diuersa abeunt quisque quo lubitum est, venanturque non boues aut lepores, sed *nigras mulieres*. Vnde multos ad nauem redire videas ab exitiosa illa Cypridis palæstra languidos, fessa trahentes membra, natiuo vigore deperdito: raroque superuiuunt, qui desideriis frena laxant.

Venus mortifera, nec ob id intermissa.

In huius littoris ora, haud procul vbi naues appellunt, ingens stat & annosa arbor. quod si quæ nauis ex iis quæ portum ingressæ sunt, damni aliquid vel in via vel ab his *Aethiopibus* perpessa fuit, totius rei gestæ series in charta pergamena descripta, asserculo agglutinatur, qui deinde auersæ parti arboris illius clauis ferreis affigitur, hoc fine, vt nauigantes, qui huc appellunt, visa lectaque schedula, cauere sibi discant. Estque hoc à multis retro annis, imo seculis obseruatum, nec ausi sunt, seu mandato seu religione coerciti *Æthiopes*, asseres illos auellere aut alio quouis modo perdere. Me quidem ter eo proficisci contigit, semper aliquam hominum hic iacturam facientibus nostris, quin & hoc ipsum iter viris aliquot constitit.

Tædium nos iam ceperat & terræ & hominum horum: mane igitur quodam cum omnia parata essent & expedita ad profectionem, repente ventus conquieuit. Expectandum igitur fuit, donec propitia aura afflaret. Est autem hoc solenne huic loco, vt ante meridiem venti à terra spirent, postea à mari, contraria ratione. Ibi conspicati sumus celocem, quæ cursu recto nos petebat: nos, qui opinabamur esse *Barquam* Hispanicam, Actuariam nostram expediuimus, impositisque nonnullis militibus ac nautis, ad peregrinam nauim illam misimus. Sed propiores facti, *Celocem Hollandicam* esse intelleximus. Miseri autem homines vi ingentis tempestatis huc compulsi, fame sitique tantum non contabescebant. Nos vsitata nostræ gentis humanitate, illos rebus necessarijs, quantum potuimus, iuuimus. Sed eodem adhuc die (ne omnino spes nostra vana foret) Barqua Hispanica se conspectui nostro obtulit. Nos confestim omnia, quæ ad bellum & arma spectabant, expediuimus, certi depugnare. Nam

Lupis & agnis quanta sortito obtigit

tanta Hispanis cum Batauis discordia est. Prora igitur in eos obuersa plenis velis eos petiuimus, nam nostri homines erant alacres ad pugnam capessendam, & sitientes vini Hispanici. Et petierant quidem nostri, sed repulsam tulerant. Hinc animo irritato vi eos adorti sunt. Sed Hispani mascule nostris restiterunt, acriterq; pugnatum est vtrinque; adeò vt nostri homines dixerint postea, non existimasse se, tantum virtutis & audaciæ in pectoribus *Hispano Lusitanorum* latere. Carinæ nauium ex vtraque parte tot globis, ferreis traiectæ sunt, vt plus operæ ac temporis vtrinque sit insumtum, in obturandis rimis ac vulneribus illis, quæ iam totum Oceanum admittebant, & interitum minabantur, quàm pugnando. Vtrinque igitur pausa concertandi facta, velut inducias pacti fuissemus, discessum est, postquam neutra pars de

Pugna Batauica nauis cum Hispanica.

victoria gloriandi, vtraque autem de damno accepto quiritandi largam nacta fuisset materiam.

Nos omisso certamine, quod parum ex sententia processerat, vela dedimus, cursuq; ad Insulam Principis delati sumus, quam ante aliquot annos, vt & *Insulam Diui Thomæ*, Hollandi possederant: sed nunc sunt Lusitanorum iuris. Cuius Insulæ littore potiti, vulnera nauis nostræ cōsolidauimus, quantum potuit, rimis obstructis, sed celeriter, nec enim res rationesq; nostræ ferebant diutius hic obhærere.

Ratio & situs Insulæ Principis.

Cæterum ipsa *Insula Principis* vno gradu distat ab *Æquinoctiali linea*, versus *Septentrionalem Polum*, in ipso prope *Zonæ torridæ* meditullio, iucunda admodum adspectu & fructibus omnigenis copiosa, præsertim vbi Orientem spectat. Vbi in fauonium ventum porrigitur, ingentibus rupibus asperatur, quæ altitudine summitates editissimarum turrium superant. Nos parum temporis hic triuimus, sed conscensa naui in Austrum nauigauimus, *Angolam* versus & *D. Thomæ Insulam*, quæ sub ipso *Æquatore* sita est: iuxta hanc adhuc duæ paruæ Insulæ è fluctibus eminent, altera *Rola* dicta, altera *Annabo* siue *Annus bonus*: distatque ista ab illa duodecim milliaribus Germanicis. Cæterum posterior habitatore hoc tempore vacua, vix humana vestigia ostendit.

Mirum tamen hoc videri possit, cum vtraque sit non vulgaris fertilitatis, abundans fructibus arboreis, & gossipio, vnde conficitur laudabilis vestimentorum materies; ab Hispanis *Pannus de Sancto Thoma* appellatur. Præter hæc dicta magnus ibi Sacchari prouentus, quod ob eam causam, quod subfuscum est, *Mascouadum* nominatur. Ipsa *D. Thomæ Insula* rotunditatis pene circularis est, diameter cuius quinque milliaria nostratia continet. In vmbilico ciuitas extructa est mediocris, cum Castello valido, cui vtrique D. Thomæ nomen.

Insulæ sub Æquatore ab Hollandis spoliata.

Notandum præterea est, ab ordinibus confederatarum Belgij prouinciarum ante annos quasi viginti emissam classem, has Insulas occupasse & dispoliasse; sed non diu ab ijs possessas; cum autem Batauorum corpora, sub longè diuersissimo climate habitantium huic siccitati & aëri adsuescere non possent, sed morbis continuo affligerentur, (quibus quidem Lusitani adeò non sunt obnoxij & ipsi fusci ac perusti) coacti sunt eas deserere, ac Lusitanis denuo cedere. Ne tamen vacui abirent, quicquid machinarum bellicarum, nolarum in templis, aut supellectilis grauioris in domibus erat, id omne secum abstulerunt Hollandi. Saccari insuper ingentem vim auexere. De cæteris rebus proteruiam fecerunt, quod comesse (auferre) non potuerunt, combusserunt, vt aliquando Cato aiebat.

Nostro autem tempore Insula hæc, quæ *D. Thomæ sacrata est*, à Lusitanis ita munita est contra omnem vim repentinam & assultus, vt Hollandorum audaciam vltro prouocent; quanquam iactantia hæc non ita pridem dignè cohercita est. Nauis enim illa *Hispano-Lusitanica*, quæ paulo ante nobiscum haud procul portu *Ollibatensi* depugnauerat, vt in superiobus commemorauimus, ab alio quodam nauarcho Batauico oppugnata atque ita quassata est, vt cum omnibus bonis virisque submersa perierit. Cæterum non est dissimulandum, Hispanos illos fortiter nobiscum præliatos fuisse, nec nostro commodo initam cum illis pugnam, nam Martis alea dubia admodum est: interfecto è nostris promtissimo quoque, alijs autem permultis fœde vulneratis: & sane non ægre ferebamus, etsi non vinceremus, cum in magna gloriæ parte poneremus, quod diuulsa vtrinque pugna incolumes euaseramus.

Nauis Hispanica submersa.

Cum

Cum autem non dubitaremus, quin *Angolæ* portum essemus continuo ingressuri, id tamen nobis non licuit partim ob ventos aduersos à terra spirantes, partim ob violentiam *Congi* fluuij, qui maximo cum impetu ibi Oceanum ingreditur. Ea est enim ventorum in illis locis regnantium ratio ac indoles, vt nouem mensibus *Austri* spirent, tribus autem superstitibus *Aquilones*. Multoties tentauimus non sine ingenti labore irruenti flumini obluctando littus accedere, sed semper irrito conatu. nam, vt supra quoq; monuimus, magnitudo & exundantia huius fluuij tanta est, quanta vix vllius per vniuersum orbem.

Mutata igitur nauigationis nostræ ratione aliud promontorium, quod vulgo *Capo monte* dicunt, petiuimus, distatque nonaginta milliaribus ab *Angolæ* portu, porrigiturque in occidentem, quo etiam aliâs appulerant nautæ nostrates. Nec quicquam aduersi sensimus eo itinere, ventis vsi prosperrimis, sed subducta ad littus feliciter naue cœpimus explicare merces nostras, vt cum popularibus negociaremur. Ipsorum mercimonia præter hæc nulla sunt: Ebur, Oryza, & auri parum. Vestiuntur incolæ huius regionis Xylinis tunicis adusque genua demissis: manicæ tantæ laxitatis, vt vlnæ vnius mensuram latitudine vincant, quas vbi aliquid operis faciundum est, in humeros reiiciunt. Femora quoque tegunt braccis ex eadem materia, latioribus, sed tantæ breuitatis, vix vt genua contingant. Pileorum aut petasorum vsum ignorat vulgus: nobiliores in vsu habent, nec hi tamen omnes. In mercium permutatione desiderant cum primis rubri coloris pannos, lebetes & peluesæneas vel Orichalceas, quorum vsus ipsis in excoquendo sole, vt & caldariorum, insuper amant globulos vitreos & cultellos, quamuis sint viliores. Pannos quos hac ratione adipiscuntur secant in fascias longiores, quibus mulieres partim succingunt ilia, partim caput ligant ornatus gratia. Gens hæc verecunda admodum est, ab omni spurcitie aliena. Miserrima tamen eo nomine quod Diabolum apertè colunt, cui & humanas hostias sacrificant, quoties ab illis exigit. Sed & in propatulo cum eo colloquuntur, quod ego hisce meis auribus audiui: aliquot enim hebdomadas me ibi hærere contigit. Aliquoties insuper in terram egressus eorum secretiora rimatus sum.

Promontorium Capo Monte.

Dæmonolatria aperta.

Non possum hoc loco committere, vt non recitem, quid mihi circa hunc cultum Diabolicum curiosius versanti contigerit. Comes nostræ nauis narrabat mihi quodam die (erat autem natione *Seelandus* patria *Vlyssingensis*) se audiuisse horribilem Diaboli vocem, vel rugitum potius, qui imperiosè iusserit, offerri sibi sacrificia. Cum ego percontarer, vbinam sacrificia illa peragerentur, respondit in vicina sylua: cæterum peruigili sacrificorum cura neminem admitti, præter Regem, quē ipsi *Thabam Flamorem* vocant, eiusq; aulicos, nobiles & consiliarios. Constituto igitur sacrificiis die ipse quoq; inconditum quendam, sed horrendum boatum audiui, simulq; vidi, quo pacto mulieres pueriq;, pariter omnes, quibus propter vilitatem cōditionis interesse sacrificijs non licebat, pleni formidine, celeri fuga domos suas petierint. Post hæc vidi fercula diuersorum ciborum in Syluā illam deferri, ptisanaria oryzæ, carnes coctas, ferinam, & vinum ac melicraton sciti saporis. Ibi incessit me desiderium quoddam petulantius, pernoscendi pressius, quonam tam lautus apparatus perferretur. Nec defuit è nostratibus peritior aliquis, qui non tantum locum mihi commonstrauit, sed & se comitem ac ducem viæ mihi adiunxit. Celeriter igitur promoto gradu accessimus locum illum, vt ad teli iactum non amplius ab illis abessemus. Sed ÆTHIOPES visis nobis planctu atque eiulatibus omnia complentes acclamauerunt nos, vt in

Cu authoris.

veſtigio conſiſteremus, quod ſi vel pedem latum progredi vlterius auſi eſſemus, ſine dubio à Dæmonijs ſuis *Cricry & Suangi* trucidandos fuiſſe. Quas minas cum nos comtemneremus, eorumque laruas nihil morari præ nobis ferremus, ſubinde ad eos accedentes propius: Ibi *Cacodæmon* impatiens ſe à Chriſtianis hominibus interturbari, tam importunè & malitioſe vrſit atros ſuos cultores, eoſque in noſtri perniciem exacuit, vt qui erant inter eos religioſiores, in occurſum noſtrum proruperint, qui ſimul ac ad nos venerunt, zelo ſuo agitati in nos irruerunt, & cum plures eſſent validi nebulones, meque ducemque meum colaphis adeò obruerunt, vt proſtratos etiam calcarint, ſtillanteſque ſanguine & liuentes vix ægre viuos dimiſerint; poſtquam nos ſpoliaſſent rebus omnibus, quas nobiſcum ferebamus. Nos igitur fluentes cruore, liuidis oculis, tumidi tempora, vitam in lucro ponentes ad Comitem noſtrum reuerſi; ludibrio excepti irriſique inſuper fuimus; erant qui condolerent nobis, quod nos haud dubiè periſſe exiſtimauerant, quibus feritas barbarorum & truculentia nota erat. Quin, quod mireris iure, præuenerat iam fama noſtrum aduentum; nos à Dæmonio *Cricry* iugulatos. Nec pol *Comes* noſter ab eo metu planè immunis fuerat, quippe qui formidaret, ne ſe ad epulum ſacrificiale doloſe vocatum caperent & omnibus fortunis ſpoliarent.

Author dat pœnas curioſitatis.

Solatium Diabolicum.

Cum iam finis eſſet Ceremoniarum, appetente veſpera, reuerſus eſt rex in aulam ſuam, relicto in ſyluis patre ſuo, *Dæmonio Cricry* (ita enim appellat malum hunc ſpiritum) qui regi, filio ſuo ſcilicet, *Thabæ*, hos inſtillauit cogitationes, fore, vt poſt obitum ſuum hinc inde errabundus vagaretur ac volaret de loco in locum, quemadmodum ipſe Dæmon.

Eadem adhuc veſpera *Comes* noſter regem adiit, queſtuſque eſt verbis expoſtulatorijs; quod ſubditi eius me ducemque meum tam crudeliter ac ſæuè verberaſſent: ſatisfaceret igitur iniuriam paſſis, alioquin fore, vt nemo mercator poſthac eò appelleret; deſertumque iri emporium, omnibus ſæuitiam gentis execrantibus. Rex auditis hiſce reſpondit; quicquid factum eſſet, iuſſu ac mandato *Diaboli Crycri* factum eſſe. Nec oportere nos queri de iniurijs. Cum enim ſacra eorum gentilitia ad nos omnino non pertinerent, debuiſſe nos abſtinere ab eorum perſcrutinio: ſcire enim ſe, nos non veniſſe pietate aut alia cauſa rationabili motos, ſed vt curioſitate quadam eorum ſecreta rimaremur, & poſt irrideremus. Viſus eſt non omnino alienè locutus, *Comes* igitur acquieuit.

Rex Æthiopum Gallice loquens.

Hic rex Æthiops ſcitè Gallicè loquebatur, vxor vero eius, à noſtris hominibus *Maria* vocata, inferioris Germaniæ dialecto vtebatur: erat tamen æque nigra atq; excocta ac rex, maritus eius. Quidam enim *Comes* Belgici generis (quales hi comites ſint, dictum eſt in ſuperioribus) eam à *Camaronibus* ſecum huc detulerat, vtebaturque ea pro concubina, certus à ſe nunquam dimittere. ab hoc Comite eiuſq; domeſticis aſſecuta eſt vſum linguæ Belgicæ. Regis autem huius *Thabæ Flamoris* vxor poſt facta eſt ex hac cauſa. Ante ſexennium *Thaba* ille bellum fecerat cuidam vicino regulo: quem cum denuo peteret armis, exorauit *Comitem* illum, vt ſecum in expeditionem belli proficiſceretur, daturum ſe ei præmij loco eboris libras circiter mille. Non abnuit *Comes*; ſumma enim illi cum *Thaba rege* intercedebat notitia & familiaritas: ſed fortuna parum propitia Comitis temeritatem vlta eſt. Occubuit, enim ipſe cum nauta quodam in prælio cæſus ab hoſte. *Thaba*, reuerſus domum, concubinam comitis matrimonio ſibi iunxit. Eo die, quo nuptiæ celebratæ fuerunt, rex Diabolo donaria obtulit, quæ viginti viri baiulare vix potuerunt.

Comes Belgicus occiſus.

Domi-

Domicilia eorum fabrè admodum & ſcite extructa ſunt. A terra eleuata ſunt circiter tres pedes, adſcenditur in ea totidem gradibus. Forma ijs exactæ rotunditatis: interiora omnia argilla oblita, & humus pauimento ſtrata. Tegularum vicem præbent palmarum folia, quæ ea ſunt firmitate vt imbres arcere queant. Lectis ſpondiſq; deſtituuntur, humi cubant ſubſtratis ferarum pellibus: ceruicalis vſum præſtat truncus.

Nauis Batauа ſubmerſa. Vix annus vnus erat elapſus, cum nauis Hollandica ibi procellis obruta atq; ſubmerſa eſt. Epibatarum pars multo maxima in terram euaſerat. Cæteri ſcapham inpreſſi fuerant, quod parum fiderent Afrorum crudelitati. Sed male ſibi proſpexerunt. Ignem enim fatuum aut tale aliquid viderant, dæmonis ludibrium, hunc recta petere inſtiterunt, remis igitur valide incumbentes omni vi ad ignem illum contenderunt. Sed miſeri omnes ſubmerſi perierunt. In ſcopulos enim cæcos delati, magna vi quaſſata ſcapha ſolutis commiſſuris aquam admiſit & ſubſedit. Qui autem in terra plus fiduciæ quam in ſcapha poſuerant, melius illi quidem ſibi conſuluerunt, ſed non in minori fuere periculo. Diabolus enim magis eos infeſtauit, quam incolæ regionis: nemo eorum rationem habuit, ſolus hic *Rex Thaba* miſertus eorum, ab iniurijs aliorum Æthiopum eos defendit. Sed polliceri illis patrocinium aduerſus *Dæmonium Suangi*, nec voluit nec potuit. Boni igitur illi naufragi errando per ſyluas victum ſibi ab fructibus arborum petere, vitamque hoc modo producere coacti fuerunt. *Rex Thaba* nonnuuquam parum Oryzæ inter illos diuidi iuſſit, vt famem ſolarentur potius, aut deſiderium edendi excitarent, quam ſedarent. Cum autem ita per ſyluas errarent victum quæritantes, Dæmon illius loci tantas turbas dedit, tantoſque excitauit tumultus, vt multi, qui fame macerati vix languida membra trahebant, terrore ac formidine perculſi ſpiritum redderent. Scribi enim dicique ſatis non poteſt, quantum fragoris & tonitruorum, qui clamores, boatus, rugitus ibi audiantur, vt vel animoſiſſimo cuique audienti tam confuſos & horribiles ſonitus arrigantur horrore comæ, & vox faucibus hæreat: vnde colligat Lector quanta ſit huius populi miſeria.

Diaboli prouintia.

Coloniarum deducendarum triumuir Diabolus. Hoc illorum *Cacodæmonium* adigit imperio & minis infelices, vt deſertis habitationibus ſuis populariter alio migrent, in loca deſerta aut denſas ſyluas, vt ibi maximis laboribus noua ſibi conſtruant domicilia, faciantque noualia, & velut colonias deducant. Quod ſi populus dulcedine patriæ & amore domiciliorũ ſuorum tergiuerſetur, nec è veſtigio morem gerat tam imperioſo Conſuli, vt illos parere nolentes cogat, omnes terræ fructus perdit, vt areſcant, etiam Oryzam in herba necat, vnde miſeri farinam panemque ſuum conficiunt: coquunt enim aqua tamdiu donec in conſiſtentiam aliquam coeat atq; incraſſeſcat. Qua lingua vtantur, equidem haud exacte ſcio, cum vltra quatuordecim dies ibi non fuerim commoratus. Id ſolum obſeruaui, poſt viginti vel triginta milliaria ſubinde mutari idioma vel dialectum, quod etiã in noſtra *Germania* vſitatum eſt, quod ſi nobiſcum merces permutant, aut negociantur, omnia ſignis & digitorum micationibus peraguntur. Inuenias paucos, qui aliquot vocabula Hiſpanica proferre norunt, ſed ſi pergas vlterius cum illis colloqui, conticeſcunt.

Iure vtuntur aduerſus facinoroſos, inprimis fures, ſtricto rigidoque. Nam ſi quis quid furto amiſit, ſtatim ad oraculum *Suangij dæmonis* abeunt, quem de fure percunctantur: qui citra conniuentiam Autolycum prodit, nominatque; quem cæteri è veſtigio trucidant. hinc rari admodum fures in tam numeroſa gente reperiuntur. In hac tamẽ parte paria cũ Iudæis faciunt,

qui

qui inter sese ipsi vsuram non exercent; tantum ab exteris fœnus exigentes: ita hic barbari quoq; à mutuis furtis inter sese abstinent, sed si quid peregrinis clepsent, aut aperta vi rapiant, nemo est qui illis hoc nomine litem moveat, aut ad restitutionem adigat.

Cum iam satis negociati essemus cum his Æthiopibus, constituimus alia loca, quæ appellant *De Rio, De Sesto*, & Palma petere. Omnia hæc loca sunt maritima, iucundo adspectu, & peramæno, distantq; inter se ab inuicem milliaribus circiter triginta. Nihil adeo commendabile hic prouenit, præterquam species piperis, ab ipsis *Malagetta* dicta, & Oriza mediocri copia. E nauigantibus qui huc appellunt; raro quisquam in littus egreditur, cum Barbari merces suas ad ipsas naues adferant, pro quibus ipsi nihil quam ferreas perticas & globulos vitreos à mercatoribus exigunt.

Negociandi ratio in Insula Sesto.

Hic vbi firmassemus Anchoras, didita fama aduentus nostri, Sestenses eorumque vicini celeriter adfuerunt, vim magnam piperis de *Malagetta* secum ferentes, nobisq; permutare volentes. Sic igitur inter nos transactum est: destituta cupa satis capace ferri perticas & fragmenta iuxta collocauimus. Illi cupam bis pipere impleuerunt, quæ mensura duplicata libras conficiebat ducentas octoginta: nos contra illis baculum ferreum certi ponderis tradidimus. Pro oriza, quam nobis itidem admetiebantur, aliud non petebant, quã globulos vitreos perforatos, in ornamentum vxorum filiarumq; suarum: harum enim propriè est oryza eiusque cura; itidem vt piper virorum. Ferri vsus apud hos barbaros varius est. Norunt enim inde fabricare non tantum arma sua, telorum apices, secures; *Assagaias*, cultros maiores minoresque: sed etiam armillas & annulos ac brachialia ad ornatum: omnia è ferro. Felix fuit nobis admodum & expedita hæc negociatio: intra quartum enim diem onerauimus nauem nostram pipere & oryza ad centum circiter Lastas. Oryzæ precium admodum fuit vile, quam magno nostro commodo mercati sumus. Singulæ enim libræ vix singulis nummis veniebant: cum aliud nihil peterent stolidissimi mortalium, quam globulos vitreos, qui in Hollandia paruo ære emi possunt.

Hinc leuatis Anchoris vela dedimus, nauigaturi in *Guineam*; vbi pars aliqua classis cum Commendatore (vt vocant) nostro substiterat: antequam tamen eo perueniremus, periculo nostro edocti sumus, quid Lusitanorum triremes possint. Cum enim prope Castellum *Mina* dictum cursum nostrum teneremus. duæ triremes Hispanicæ nos conspexere, statimq; inuasere: cum autem id sit harum regionum ingenium; vt venti circa meridiem penitus conticescant, fugere nõ potuimus, sed capessenda omnino pugna fuit etiam nolentibus. Commissum est igitur prælium atrocius quam pro paucitate pugnantium; donec auxilio diuini numinis post duarum horarum acrem conflictum prosper ventus vela nostra impleuerit; qui nos in portum *Castelli Nossouici* feliciter perduxit. Etsi autem tunc, cum pugnaremus tribus abessemus ab illo Castello miliaribus, præsidiarij tamen affirmabant, omnia se & audiuisse & vidisse; quæ inter nos & triremes acta fuissent. Quocirca cum nos laborare animaduerterent, sine mora nauem militibus plenam nobis subsidio miserunt, qua appropinquante nostris, qui iam ex desperatione & pro sola vita pugnabant, creuit animus: hostes vero visis cõpijs auxiliaribus, desperantes de victoria iam fugam adornabant; quam inire vix ægre potuerunt, triremibus fœde laceratis & crebris globorum ferreorum ictibus perforatis. quo tamen potuerunt, magno nisu impulsis remis; abiuerunt; postquam octoginta viros è suis in hac nauali pugna amisissent, vt postea patuit; Sic DEVS iterum è manibus hostium nos eripuit. Cum autem ad *Castellum*

Prælium nauale.

Nasso-

Naſſouicum appuliſſemus, altero die ſolennes Deo gratias pro tam efficaci liberatione ex euidentiſſimis periculis egimus vniuerſi. In illo littore mortuos, qui in prœlio nauali fortiter pugnando oppetierant, ſepeliuimus: erant autem omnino viri octo.

Fuit poſt hæc aliquantum temporis curandis ægris atque ſaucijs indulgendum: qui poſtquam omnes prope conualuerunt, cœptum eſt inter nos de reditu in Batauiam agitari conſilium. Nauis enim onerata peregrinis mercibus vel ipſa videbatur idem deſiderare. Intulimus autem patriæ, piperis *Mallagettæ* centum laſtas, quæ conſtituunt quater mille centenarios, (vt vocamus cum vulgo) itemq; magnam vim Eboris, prætereaque mille libras auri Æthiopici, vt inita ratione ex mercatorum computo omnes merces, quas naui noſtrâ aduexeramus, æſtimatæ fuerint decem auri Tonnis. Tempus autem, quo hæc omnia, quæ hac narratione perſecuti ſumus, acciderunt, eſt menſium ſex & viginti.

FINIS ſecundæ Nauigationis Samuelis Brunonis, ciuis & Chirurgi Baſileenſis, in aliquot Africæ regna vicinasque Inſulas.

SAMUELIS BRUNONIS CIVIS ET CHIRURGI BASILEENSIS: PERITISsima Nauigatio tertia in Guineam ad prouinciam More, vbi Castellum Nassovicum in Regno Sabou.

Tertia nauigatio Brunonis in Africam.

PERICVLOSIVS multo fuit hoc iter superioribus, quod Anno à nato bono publico millesimo sexcentesimo decimo septimo in *Guineæ Regnum Sabu ad Castellum Nassouicum* suscepi. Nam & ipse locus ratione situs ac aeris qualitate peregrinis insalubris & ideo inimicus, qua de causa haud facile quispiam ibi diutius commoratur: & multo plus tempestatis ac procellarum hac nauigatione sustinuimus quam vnquam antea. Etsi autem prospera valetudo longe maius bonum est, quam quod auro argentoque emi possit aut vendi debeat: inueniuntur tamen nonnulli, qui stipendij amplitudine, quod militibus eo euntibus persoluitur illecti, ad Castellum hoc proficiscuntur. Cum igitur conscriberetur supplementum militum, quod mitteretur in Guineam, & me tum *Amsterodami* esse contingeret, inuasit me consuetus curiositatis morbus, vt in *Curiam Principis*, vbi diribitorium erat, me conferrem, non sanè alia de causa, quàm, vt quid ibi rerum gereretur audirem videremque. Ibi quidam è celebrioribus ordinum ductoribus, quibus ab antiquo notus eram, me conuentum interrogauerunt, vellemne Illustribus ordinibus operam meam approbare in præsidio *Castelli Nassouici*? quibus citra vlteriorem deliberationem respondi velle me. Inde vocatus sum ad consilium, quod Admiralitatem vocant; nam Hollandi in more positum habent, vt Chirurgi nullius opera vtantur, nisi prius Medicis ad interrogata sufficienter responderit, & artis suæ peritiam gnaris approbauerit. Sic à duobus Medicinæ doctoribus & duobus Chirurgiæ Magistris examinatus sum, pauloque post iterum ad consilium vocatus, vbi cum discipulo meo ab ordinibus in Chirurgum illius expeditionis receptus, & Duci Generali *Adriano Calantio Harlemensi* commendatus sum. Nauis quæ mihi conscendenda erat, vocabatur *Geldria* eratq; ex earum numero quæ bellicæ siue militares appellantur, ferebatq; milites centum viginti quinque, in præsidio sæpe dicti *Castelli Nassouici* collocandos. Mercibus peregrinis non erat apta nec onerata, sed tantum machinis, armis & commeatu. Singulis enim annis non nisi singulæ naues eò mittuntur, qui quotidie pereuntium militum defectum integrent, & numerum suppleant: vix enim decimus quisq; patriam sanus & integer repetit. Comitabatur autem nos alia insuper nauis, calcem ac lateres coctos vehens ad moliendum aliquod ædificium, quæ tamen debito pondere onerari non potuit, donec ad *Insulam Texeliam* appelleret. Hęc igitur nauis præcessit, altera, milites & instrumenta belli vehens subsecuta.

Laudabilis mos examinandi Chirurgos.

Ventis

Ventis igitur secundis vsi ab Hollandia profecti sumus, exiguoque tempore Angliæ extrema attigimus. Ibi ventus degenerauit in atrocem procellam, qui nos tam impetuose egit, vt intra octauum diem altitudinem *promonto ÿ Viridis* in Africa cursu præteruehere mur, quo quidem tempore vltra centum octoginta milliaria nauigauimus in occidentem. Tanta autem fuit ventorum violentia, vt viginti octo millia laterum in mare proiicere cogeremur, quanquam ob hanc causam nihilo commodius succederet nauigatio: sed indies grauior incubuerit tempestas, adeo vt duæ naues è conspectu nostro auulsæ fueriut: nostra vero nauis quatuor diebus & noctibus sine velis expansis impulsa est, & tamen diuinitus seruata. Tandem autem impetu fluctuum quassata, actis hinc inde rimis Neptunum tanta vi irruentem admisit, vt quicquid esset in naui vectorum, tam milites quam alij sine intermissione aquas exhaurire cogerentur, quod quidem strenue fecerunt cum singulis momentis mortem ob oculos versantem intuerentur. Erat periculum eo maius, quod lacerata nauis tantam iam vim maris admiserat, vt viri ilia altitudine sua contingeret, expectabamus igitur nihil aliud, quam salsam & madidam mortem. Gubernator nauis nostræ senex octogenarius deierabat grauiori tempestate toto vitæ suæ tempore nunquam agitatum. Nec dicere mihi nec scribere facile, quantum timoris, quantum angustiarum ac desperationis in tota naui apud omnes promiscuè regnauerit. Eramus enim omnino vltra viri bis centum, omnes pariter affecti, &

Tempestas grauissima.

Versabatur vbiq; simillima mortis imago.

Ibi veritatem prouerbij adstruximus, eos demum precari discere, quibus aquæ vsque ad os pertingant. Tandem omnem spem nostram in solo Deo collocauimus, qui etiam mortuos viuificare facile, multo magis viuos ab interitu reuocare potest. Non enim apparebat vel minima ratio seruandi vllius hominis. Sed laudatus sit altissimus ille, qui tunc, cum ad summum periculi venissemus, auxilio suo nobis præsto fuit. Octauo enim die venti omnes conticuere, & Oceanus pater posuit iracundiam. Nos repentino perfusi gaudio, genibus innixi, manibus ad cœlum leuatis Deo tam insperatæ salutis datori, gratias animitus egimus. quin & alter alterum velut à mortis limine reuocati, intuitus ita dicebat: Si nos Deus in Guineam ad CASTELLVM NASSOVICVM perduxerit, rimosa hac & veteri naui ad reditum nequaquam vtemur. Octauus enim à vigesimo hic annus erat, cum primum ædificata fuerat, quin & celeberrimo illi prælio quod ab Hispanis & Batauis commissum est, inter Hispaniam & Africam, in ipsis faucibus *freti Herculei siue Gaditani*, Anno Christi 1609. interfuerat: vbi celeberrimus ille Admiralius Batauorum, *Iacobus Hemskerchius*, vt & Hispanorum classis imperator *Iohannes Vaiardus* occubuerat, memorabili ad posteritatem exemplo, ob vtriusque summi ducis interitum. Non igitur erat mirum, hanc nauem tot aduersitatibus quassatam, tantæ vetustatis exiguam nobis præstitisse fidem, cum in prælio illo nauali vehementer concussa ac refecta fuerit.

Tertio die post, secundus ventus ex oriente adspirauit, densas nebulas secum ferens, inusitati coloris, nostra enim nauis & omnia eius instrumenta rubro colore tincta infectaque, admiratione nos impleuit, vtique cum color ille esset, qualis lateris cocti esse solet. Vnde nautarum petulantia rem in iocum vertens dixit, cacodæmonas lateres illos, quos leuandæ alterius nauis ergo in mare proieceramus, contriuisse, & nos eo puluere adspersisse.

Nebula inusitati coloris

Superatis tandem tot laborum & periculorum plaustris, ad *insulam Sarellionum* peruenimus, quæ, quia pomis aliisq; fructibus arboreis abundat,

multum fecit ad reficiendos nostros, tenuitq; nos hæc commoditas aliquot diebus, vt ægris gratificaremur. Arbores Limoniorum feraces tam densis ordinibus iuxta sese stant, vt vix admittant transire volentes, haud aliter quam apud nos pinus aut piceæ in densis nemoribus, earumq; fructus sparsim sub arboribus iacentes reperiuntur, velut in nostris syluis glandes sub quercetis.

Populus illius regionis, non vt cæteri barbari, ferus & inhumanus, sed gratus admodum erga benefactores suos, quibus si aliquod donariolum offeras, etsi precij sit perexigui, ingentes tamen gratias agunt. Nec tamen per omnia fides illis adhibenda: quanquam, si verum fateri volumus piratis Gallicis hoc potius transcribendum est, à quibus Æthiopes hi aliquoties sub specie commerciorum turpitur decepti, nonnunquam etiam violenter spoliati vulneratiq; sunt.

Eadem his Afris viuendi ratio, ijdem mores qui cæteris Æthiopibus, à quibus vel sexcentis milliaribus absunt. Idololatria, vel vt verius loquar, Dæmonolatria illis cum vicinis communis. Circumciduntur tamen etiam velut Iudæi & Turcæ, quamuis superstitionem Mahometicam penitus repudient. Vestitus illis haud fere alius quam vicinis gentibus, tunica non vltra genua demissa, è gossipio texta.

Insulæ Sarellionum situs. Situs huius Insulæ sub octauo circiter gradu ab *Æquinoctiali* versus *Arctum*. Domus & habitationes eorum quales incolarum insulæ promontorij Capo monte: haud enim longè ab se inuicem distant. Merces alias non habent, quas peregrinis impertiant, præter ossa & dentes Elephantorum, abundat enim tota insula Elephantis, qui nonnunquam in vicos pagosque earum ingrediuntur.

Hoc loco cum nostri refecissent sese, leuatis anchoris Castellum velut scopum nostrum petijmus. Vela igitur in orientem conuertimus donec tandem *Castrum* ipsum *Nassouicum* nostro se aperuit aspectui. Gratiis igitur Deo animitus actis, qui nos incolumes è tantis erutos periculis eò perduxerat, paulatim animo quoq; recreati sumus.

Cum ad promontorium *Capo Curso* dictum, appulissemus, milites aliquot è præsidiariis nobis in occursum prodierunt, nosq; summis cum gratulationibus exceperunt: existimauerant enim, nos omnes vi tempestatis obrutos ac submersos penitus periisse. Nã duæ illæ naues, quæ ab initio nobiscum nauigauerant, sed vi procellarum auulsæ à nobis fuerant, quatuor septimanis ante nos ad Castellum peruenere, dixeruntq; tanquam compertissimum sese habere, nos omnes naufragio perisse. Ipsi autem præsidiarij fame laborare incipiebant; commeatus enim eorum iam vehemenrer erat imminutus: lætandi ergo occasionem habebant, quod nauis nostra rebus ad victum vitamq; necessarijs tam opportunè instructa appulisset.

Subducta ergo naue nostra in stationem sub ipso Castello, cæteræ naues omnes: quæ ibi in Anchoris stabant tonitruis frequentibus è machinis grandioribus nos salutauerunt, fueruntque explosa tormenta in honorem nostri aduentus centum & sexaginta. Generalis igitur Præfectus nouos milites in terram expositos ordine incedere iussit, & ita sub vexillo ad Castellum deduxit. Porro è veteranis, quibus emerita fuerant stipendia, vix viginti supererant, & hi ipsi pleriq; ægri & male affecti. Hi igitur facta vorsura, statim ad nauem nostram deducti sunt, domum scilicet repetituri. Nos ipsos amicè monuimus ne se crederent tam vetusto & ruinoso nauigio, quod nos prope perdidisset. Sed hoc responsi accepimus: si vos tamdiu hic hæseritis donec

donec emerueritis stipendia vestra, non dubitamus, quin tandem tædio huius loci affecti, primam quamq; nauem, quæ vobis offeretur ad reditum, ambabus vlnis sitis amplexuri. Quid enim, aiebant, an peius nobiscum agetur in naui, quam in Castello? minimè verò. Nec illos fuisse mentitos subsequentia me docuere tempora.

In hoc igitur Castello inuenimus quadraginta viros, vermibus afflictos de quo malo in sequentibus dicemus fusius. Ibi Capitaneus Præsidij nouos milites excepit, illisque diuersoria assignauit. Postea omnis commeatus quem attuleramus, è naui in terram expositus, inq; Castellum subportatus est, non sine magno labore & lassitudine. Ipsum enim Castellum loco admodum edito situm est: nec vlli ibi equi aut asini, quorum ope in his talibus vterentur, sed omnia humanis humeris imposita eo baiulari necesse est.

Morborum ibi larga seges & materies amplissima, ob intensum calidissimi climatis æstum, cui nostri homines minime adsueuerunt, acciditque trium septimanarum spacio viginti viros è nostris interire, ad triginta autem variis morbis infestari: quanquam non est dissimulandum, multos suo sibi, quod aiunt gladio iugulum præcidere, qui veluti bruta proruentes in peregrinos cibos, ijs velut patrijs & adsuetis vtebantur. ita intemperantia & ingluuies, vt alijs ita his quoq; morborum mater fuit.

Africa æstus peregrinis noxius.

Erat nobiscum præco verbi Dei, vir probus & doctus, cui Hermanno Iansonio nomen erat: qui nostros homines ad temperantiam & parcitatem cibi potusq; fideliter adhortabatur, sed irrisus fuit. Videns igitur seque monitionesque suas ludibrio haberi, valedixit illis, nauemque vacuam ingressus, Hollandiam repetiit. Grande me tenebat desiderium, cum eo redeundi in Europam, sed non est mihi permissum: qui enim ægrorum in Castello hactenus curam gesserat Chirurgus, mortuus fuerat, vt & discipulus eius: nisi igitur omnino vellent Præsidium in tanto ægrorum numero destitui medico, non poterant me dimittere. Dux tamen noster me præ cæteris comiter habuit, propriumque attribuit conclaue, vbi à petulantia militari intactus essem. Nec mora, ægrotum & sauciorum multitudo ad me confluxit, quibus vermes in ipsa carne succreuerant, quique alijs noxijs vulneribus erant affecti. Has autem molestias duplex lenibat solatium: primo, quod mensa mihi satis lauta sternebatur apud Ducem; deinde quod Ordinum liberalitas medicamenta omnia mihi gratis præbuerat, proque ijs satisfecerat, quæ profecto beneficia, prȩterquam quod lautum percipiebam stipendium, ab alijs ne sperare quidem potuissem.

Hactenus narratio mea stetit in ijs, quæ acciderunt antequam in Castellum peruenimus, nunc deinceps recitabo quæ sit ipsius Castelli ratio, quæ structura, qui situs. Abest igitur ab *Æquinoctiali* linea quinque gradibus versus *Polum Arcticum*, tribus non amplius milliaribus à munitissimo Lusitanorum Castro, *de Mina* dicto.

Prima eius fundamenta iacta sunt Anno à Christo nato millesimo sexcentesimo duodecimo, sub præfecto *Adriano Calantio*, cuius ductu & auspiciis ego quoque per triennium militaui. Situm est in edito colle, prospectu admodum iucundo, haud longè à mari, paulo supra oppidum *More*, quæ regio omnis regis *Sabu* imperio paret, cui nomen est *Henna Iafar Iafarij*. *Henna* enim barbaris regem sonat, *Iafar Iafarij* est verum ipsius nomen.

Descriptio Castelli Nassouici.

Cur autem Castellum hoc primitus extructum sit, hæc fuit causa. Batauis potissima cum Afris huius loci incolis intercedebant commercia, præsertim quo ad aurum; hi enim omnis generis peregrinas merces ad barbaros deferebant, & aurum quod ab Æthiopibus accipiebant, liberaliore permutatione compensabant, quam Hispani. Eratque perpetuum Batauis dissidium, imo bellum cum Hispanis, Castelli *Minæ* præsidiarijs. Lusitani enim perpetuo quatuor triremes hic habebant in statione, in perniciem Hollandorum. Cæperant aliquando Bataui in terram egressi ædificare celocem. Ibi Lusitani adscitis in auxilium Æthiopibus celocem vna cum villa More igne cremauerunt, homines autem crudeliter trucidauerunt. Gubernator enim Lusitanicus barbaris pollicitus fuerat, se pro singulis Hollandorum capitibus certum auri modum daturum. Hoc tam cruento præmio illecti barbari Batauorum capitibus insidiati sunt, quæ & illis amputauerunt, vbicunque eos nacti fuissent. Sed ne demortuis quidem, quos Bataui morbo vel casu sublatos tumulauerant parsum fuit. Effossis enim præcidebant



capita (sed fere noctu, ne deprehenderentur) eaque pro recens interfectis offerebant Lusitanis, quos hac ratione, morticinam è sepulcris pro mactata è macello carnem offerentes, velut canes deceperunt.

Sed

Sed ipsi Hispani Barbaris dignam paulo post mercedem persoluerunt. Tam duriter enim & immaniter eos tractauerunt, vt victa eorum patientia non amplius fuerint ferendo: insurgentes igitur ab omni parte in Lusitanos eos ita exagitauerunt, vt trepidi ab omnibus locis fugerent.

Cum autem Rex *Sabou*, cui hactenus cum Batauis commercia intercesserant potissimum, ex commissarijs ordinum intellexisset, eos, si rex ipsis eo in loco vbi celocem ædificare voluerant, spacium aliquod terræ indulsisset, contra Hispanorum excursiones, quas quotidie in Afrorum tuguria faciebant, Castellum exædificaturos inq; eam rem *Mauritium Principem* iam consensisse: is igitur rex duos Legatos ad ordines in Bataujam misit, illisque locum ac territorium More oppidulo vicinum dono obtulit, vt ibi pro lubitu arcem ac propugnaculum extruerent. Legati Regis *Sabou* paulo post in Africam redierunt, duabus nauibus militariter instructis & duabus celocibus eos securitatis ergo deducentibus. Hi omnes primo die Martij anni millesimi sexcentesimi duodecimi in eo loco salui & incolumes appulerunt, erantque omnino quingenti viri. Antequam autem appellerent, nacti in via triremem Lusitanicam, inuaserunt eam & expugnatam sui iuris fecerunt.



Inde

Inde omnes vnanimi consensu ad extruendum Castellum se accinxerunt, à vallo iaciendo initium facientes. Vt igitur exemplo aliis praeiret Dux & Praefectus Hollandorum *Adrianus Callantius*, omnium primus rutrum arripu..., & fossionem ipse auspicatus est. Hoc vallum siue munimentum succedente tempore in Castellum validissimum & prope inexpugnabile euasit, confluentibus vndique Afris, quibus intolerabile erat iugum Ibericum, & manum operi sponte admouentibus. Nomẽ inde ei inditum CASTRVM NASSOVIVM: ob eam causam quia Rex *Sabou*, *Mauritio Comiti Nassouio* solum illud, cui erat inaedificatum, donauerat. Tribus propugnaculis firmissimis & prominentibus minatur hosti, vltra quae aliud munimenti genus excurrit, cui à *Cornuta Luna* nomen inditum. Olim solis aggeribus munitum fuerat, sed nunc quadrato lapide & latere cocto extructis aedificijs graphicè ornata & firmior facta arx illa, facile vel accerrimam obsidionem ferre, suosque defendere potest. Moenibus in circuitu caret, sed fossis altissimè depressis & vallo artificiosè non minus quam validè structo, eorum defectum copiosè sarcit: virgultis enim aggeres viuiradicibus coadunati, in maiorem subinde firmitudinem coalescunt.

Vnum est, quod eos ab initio, valdè sollicitos habuit, quod fontibus & aqua dulci destituerentur. Sed & hunc defectum ingenio suppleuerunt, fornice siue camera subterranea extructa, in quam magna vis aquae pluuialis deriuatur, quae ibi in varios vsus per integrum annum bona & omni putredine immunis conseruari potest. Capit autem aquae vehes siue plaustra, vt nos loquimur circiter quadringenta. Caeterum alia aquarum dulcium copia haberi non potest, nisi duarum horarum itinere à Castello, infesto illo toto spacio latrocinijs & alijs periculis.

In hoc tractu Castelloque adeò ipso, sicut & in prouincia Accarensi homines vidi, qui centesimum supra trigesimum annum iam attigerant. Hi mihi percunctanri narrabant: Castellum *Minam* iam ante multos annos à Gallis negociatoribus fundari extruique coeptum fuisse. Cum enim quotannis per tres integros menses assidui imbres cum validissimis ventorum turbinibus (quos imbres ventis mixtos nautae *Trauadas* vocant) ibi dominentur, petiisse Gallos istos, vti sibi bona cum incolarum venia armamentarium vel domum seruandis mercibus extruere liceret: qui nihil mali suspicati, cum à Gallis laesi hactenus non fuissent, libenter indulserunt. Caepta est inde domus mediocris magnitudinis excitari, in quam merces & bona sua à nauibus eo perducta congestere. Hinc Gallorum negociatio in dies felicius succedere, ob eam praecipuè causam, quòd illo tempore rudiores Afri aurum neq; numerauerint neq; ad libram appenderint, sed ex bono & aequo, prout existimabant cum mercibus Gallorum permutauerint.

Initia Castelli de Mina.

Lusitanis vbi haec innotuerunt, felicitati Gallorum inuidentes, dira in eos consuluerunt. Nihil enim mali metuentes repente inuaserunt, occupataque domo earum, quicquid reperere mercium barbaris donauerunt, asserentes, se multo commodiore ratione commercia cũ illis tractaturos quam Galli fecissent hactenus. Stolida credulitas hoc consilium ad animum admisit, adeo ut in gratiam praedonum Lusitanorum alios quoque peregrinos, qui post hoc tempus eo appulerant, promiscue interficerent. Lusitani domum illam mercatoriam demoliti, *Sacellum* (ne Castelli nomen inuidiosius esset) ex illa materia aedificauerunt, quod successu temporis adeo muniuerunt, vt libertatem & salutem popularium inde, magno miserorum damno, aliquo-

aliquoties ex eo oppugnatum iuerint. Sicut enim Troiani equum *Epei*, armatis Heroibus plenum, per mœniorum ruinam, in vrbem suo exitio induxerunt: ita nigri hi & insipidi Æthiopes suis manibus Castello excitato omnem diligentiam & assiduitatem præstitere, sed suo magno malo. Perfecto enim ædificio adiectisque munimentis Lusitani iam loco confidentes, & insolentiores facti, regi *Futuensium* vicino suo duas res vi ademerunt: Decimam piscium, & vectigal mercimoniorum: & quicquid iam antea è raptis Gallorum bonis donauerant incolis coacti sunt miseri præstantissimo auro, quod incolæ ipsi *Sicca Futtu* vocant, rependere, quod in illis locis, vnde denominationem trahit inuenitur, & minimis granulis constat, instar sabuli aut arenæ. Habent præter hæc & maiora fragmenta auri, quæ æqualiter ab illis secantur, vt paris omnino omnia sint ponderis, quod est duorum granorum. Cum autem barbari inciperent auro destitui, Hispani violentis exactionibus illis institerunt, vnde formidine maioris mali miseri fugerunt, inque iuteriora regionis se abdiderunt, vitæ & saluti consulturi. Hinc desertus portus & statio, nec vlli appellebant mercatores, sed omnia cessauere commercia. Hinc Lusitani ingentes animo concepere iras, quas vt miserorum sanguine satiarent, & simul auri sitim restinguerent, miserunt illico in Lusitaniam, naues petentes & milites. Quos nacti coegerunt barbaros minis & verberibus ad inquirendum aurum. Sed vt nulla violenta potestas diuturna esse potest, ita quoque hæc Tyrannis citò finem suum adepta est. Nam Afri tot iniuriis lacessiti (vt est gens obstinata) in animum induxerunt, mori potius, quam carnificibus suis aurum quærere. Cessatum inde populariter, quasi edicto proposito, ab inuestigatione huius metalli. Quæ res, cum Hispanos tantum non in rabiem egisset, constituerunt omnino vi armata regnum ingredi, & ipsum regem, prouinciæ caput, quærere. Sed hic, intellecto eorum consilio cum suis tempestiue euasit, inque abditiora regionis aufugit. Insequentibus autem Lusitanis, Æthiopes cæsis arboribus, quarum ibi ingens copia, vias omnes obstruxere: quibus amoliendis aperiendoque itineri cum vacarent Hispani, Afri alia via eos circumuentos, pari astu, obstructis itinerum viarumque admissuris, velut indagine cinxerunt, vt nec prodire vlterius, nec regredi eodem itinere quo venerant, vllo modo possent. Nigri autem hi nihil sibi ad omnem diligentiam reliqui facientes in cædenda materia & obturandis semitis strenue perrexerunt. Senserunt Lusitani, sed serius, astu se circum scriptos, cum primum aquæ inopia laborare cœperunt, iamque vix ferre valebant sitim, cum insuper solis Africani æstu torrerentur, & ecce noua fraude Afrorum pene deleti sunt. Arbores enim cæsas, virgultaq; & dumos igne subiecto incenderunt, vt Hispani duplicatis ignibus, hinc à Vulcano, inde à Phoebo vstularentur, in quam spem ipsi domo cum armis aduersus vtrumq; hunc diuum parum efficacibus, profecti non fuerant. Est autem id horum lignorum ingenium, vt si per triduum solum humi in illo solis æstu procubuerit, subiectum ignem statim concipiant, nec dimittant, donec omnino in cineres soluta fuerint. Desperabundi igitur infelices Lusitani, cum implacabiles haberet hostes, sitim, ignes, barbaros, misere periere. Nongenti circiter hoc Africano astu & æstu sublati fuerunt, nec vllus è tanto numero superfuit, qui tristem rei male gestæ nuncium ad eos, qui in *Castello Mina* relicti fuerant, perferre posset, omnibus internecione deletis, qui profecti fuerant. Hunc habuit finem violentia & Tyrannicum Lusitanorum imperium, nec desiderium post id tempus cepit Hispanos, in aciem aduersus nigros prodeundi, eosque in syluis latentes peruestigandi. Qui supererant in Castro eos compar exitium manebat,

Equus Troianus.

Lusitani ab Æthiopibus circumuenti.

Nongenti Hispani dolo Afrorum sublati.

nebat,niſi ὡς ἀπὸ μηχανῆς nauis ex Hiſpanijs appulſa,milite &commeatu ipſos iuuiſſet atq; recreaſſet.

Porrigitur autem hoc regnum ad ſeptuaginta circiter milliaria ſecundum littoralem tractum in longitudinem,excurritq; ab occidente in orientem. Sed in mediterranea longiſſimo tractu ſe extendit, ad trecenta circiter milliaria verſus *Ægyptum* & Sinum *Erythræum*. Abeſt autem ab Æquinoctiali linea gradibus quaſi quinque verſus ſeptentrionalem Polum. Terra ipſa collibus nonnullis aſperatur,nec tamen nimis edita eſt,ſatis ferax fructuum arboreorum,non itidem frugum. qua Oceanum attingit, cultior & domibus frequẽtior,maior enim pars piſcatu vitam tolerat. Sed qui aurum quærunt, nouem aut decem milliaribus à littore abſunt, & interiora regionis colunt, qualia ſunt oppida *Sabou*, *Fonteina*, & alia permulta: vbi & ipſi reges locum aulæ ſuæ elegerunt, propter amænitatem & ſalubritatem, & fructuum copiam,quorum ne nomina quidem nota habemus. Agri colendi ratio apud ipſos commodiſſima, longeq; à noſtra diuerſiſſima. nec enim fodiunt nec occant runcantq; vti apud nos; ſed vepreta dumoſq; ab ſtirpe ſuccidunt,relinquunt,in loco donec aruerint. Inde ſuccendũt igne,cremantq;,vnde duplex vſus;primus, vt regio virgultis horrida à denſis illis vepribus purgetur planiorque reddatur:alter, quod carbones ab uſtione illa reſidui & cineres, poſtquam diuturnis pluuiis cum ſubiecto ſolo miſti fuerunt,ad inſtar fimi ouilli tellurem impinguant ſtercorantque. Sunt autem certi pluuiarum,quæ apud ipſos continuis tribus menſibus decidunt quotannis, vnde ſiccitatem illo tempore non metuunt. Sementem autem facturi exiguos ſulcos lyraſque paruas baculo aut alio aliquo leui inſtrumento deprimunt, quibus poſtquam ſemina crediderunt,ea terra cooperiunt. Quod ſi,vt fit, hanc ſationem imbres conſequantur, ſolo triduo ad Spithamæ altitudinem excreſcit,vt intra tertiam Septimanam ad viri altitudinem aſſurgat, nec ſpes meſſis vltra ſeptimam aut octauam ſeptimanam differatur. Triplex frumenti genus illis in vſu eſt. Noſtrum autem , id eſt Europæum triticum ibi prouenire aut fœtificare recuſat. Quaternis autem menſibus duabus gaudent meſſibus. Octo autem reliquis per annum ſummo æſtu flagrant omnia, vt multoties fruges ac cætera terra naſcentia æſtu damnoſo exurantur , haud ſecus ac apud nos frigore hyberno intereunt.

Agricultura modus apud Sabuenſes.

Molendinis, ſiue ſint Aëromylæ ſiue Hydromylæ omnino carent. mulieres autem terunt frumentum lapidibus,ſicut noſtri homines cultellos aliaq; ferramenta ad lapides teruut , acuendi gratia: & tamen hac ratione ſubtiliſſimam farinam conficiunt. Facturi inde panes mirũ huncce modum obſeruant,aqua coquunt ad ignem, furnis enim & fornacibus deſtituuntur penitus, ſed antequam hoc faciant , primo maſſam ſubigunt depſuntq; ex ſola farina & aqua,adduntq; fermentum,cuius beneficio,cum aſſurgit & leuatur conſperſio , viridi palmæ arboris folio eam inuoluunt, inq; ollam feruentis aquæ mittunt.vbi tam diu coquitur , donec in conſiſtentiam coeat, tum eximitur ex olla,eſtq; cibus ſciti ſaporis,quanquam cruſta careat. Pauperiores,frumento deſtituti,certum genus radicis habent,quam *Canctin* vocant;vnde panem ſibi conficiunt. Eſt & aliud genus in frequenti apud eos vſu,quod impoſitum carbonibus, aſſatumq; comedunt, multumq; valet ad ſiſtendum alui intempeſtiuum profluuium.Barbari *Brodin* vocant.

Panis faciendi mira ratio.

Pagi atq; oppida ipſorum nec muris cincta nec vallo munita ſunt. Et tamen ſingulari Dei beneficio, ſenticetis ac vepretis ſeptem nouemq; pedes altis,ijſq; tam denſis per circuitũ cincta ſunt,vt non tantũ aditus homini non detur,ſed ne ſagitta quidem ab neruo miſſa penetrare poſſit. Ipſa virgulta

adeò ſunt lenta ac contumacia, vt ferri aciem diu reſpuant, nec facile cædi poſſint, & ob denſitatem à longè intuentibus humilis ſiluæ ſpeciem præferant. Portæ eorũ tam auguſtæ, vt vix ſingulos homines introeuntes admittant, firmitatis autẽ tantæ vt dici ſatis non poſſit. Hoc muro naturali villæ & oppida eorum per circuitum vndiquaq; vallata ſunt, & moeniorum firmiſſimorum defectum abunde ſupplent: vocantur autem à barbaris *Ohou*.

Muri naturales.

Sed ruſtici, qui lingua Æthiopica *Sanſou* vocantur, ideſt *vinicolæ*, ſparſim in agris & hortis habitant. Hi magna multitudine, ducenti & plures in oppida conueniunt, ad forum rerum venalium, vinum & frumentum ſecum ferentes, quod vendant. Vinum ita baiulant. aſſeres mediocri latitudine capitibus geſtant, quibus aſſeribus vinum in ollis tribus quatuorq; ſatis capacibus imponunt, atq; ita ad oppida profecti ollas illas vino plenas auro præſenti vendunt, Olla autem vnaquæq; capit noſtrates menſuras ſex vel octo, & tantum ſinguli ferunt capitibus, vt aſini dorſo. Horum vinitorum habitationes viliſſimæ ſunt, ramis arborum & ſtramentis compoſitæ. præter dicta huius regionis commoda, magnus quoq; ibi prouentus eſt cannarum ſiue



harundinum, in quibus Saccharum gignitur, vt iam nihil dicam de varijs generibus fructuum arboreorum, qui nobis ignoti ſunt.

Gens ipſa ſimplex, timida, & fraudis ignara, quod ſi vel maximè nos decipere

Mores & habitus ruſticorum in regno Sabou.

c~pere vellent, certum tamen eſt potiſſimam damni partem ad ipſos reditu-ram. Solent noſtris vendere vinum ſuum, pro exigua parte vini deſtillati ſiue ardentis, quod ipſi Aracā vocant, & cuius ſummo deſiderio tenẽtur: ex qua permutatione apparet, illos laborem ſuum in vino elaborando nihili facere.

Nudi penitus incedunt, ſola verenda tecti ſubligaculo lineo, quod anguſtius in latitudine, ſed longius eſt decem vlnis noſtratibus, quo pudendas partes velant, reſiduo circa corpus collecto, nodoq; colligato. mulieres tamen aliquanto plus veſtium circum ſe habent quam viri. Pileos mira ratione & ſatis ſimplici conficiunt. detractas capris pelles in acumen deformant, inde modulo ligneo ad amplitudinem capitis humani facto, pellem illam vdam & recentem arctè circumponunt, quæ poſtquam arefacta eſt, formam modi retinet, pileiq; vſum è veſtigio præbet.

Cum in ſuperioribus de oppidis eorum mihi ſermo eſſet, inq; mentionem ædium ſiue domiciliorum horum hominũ deueniſſem, quædam dicta ſunt, non tamen ſatis explicuimus, è qua materia illa conſtarent, ſtructuræ enim illius modus dignus videtur qui conſideretur. Igitur parietes defixis in terram palis virgultiſq; denſiſſimè implicatis ac plexis conſtant, ſuntq; interius argilla rubicunda inſtar cæmenti aut tectorij incruſtati illitiq;. Tectum è folijs palmæ Africanæ, arboris. Feneſtræ in tota domo nullæ, quarum loco tectum exemtile eſt aut mobile inſtar valuarum. Solem igitur, aut lucem, aut aerem frigidiuſculum admiſſuri, vel alteram vel vtramq; tecti partem ſurſum attollunt, ſubiectoq; bacillo fulciunt. Nec multum in ſubleuatione hac laboris aut moleſtiæ, cum materia leuiſſima totum tectum conſtet. Rubet autem tota domus ab interiore parte, non ſolum parietibus ſed & pauimento argilla rubra inducto. Tot quiſq; ſibi domicilia vel ædiculas exſtruit, quot vxores habet ſiue concubinas, vnaquæq; enim earum ſeparatim habitat, ne ſibi inuicẽ impedimento ſint aut moleſtæ. Has omnes cum ſuis areis vir ſæpimento munit & à publico diſpeſcit. Ipſe in medio ſuum conſtructum habet domicilium. Vnumquodq; eorum conclaue ſpeciem præbet ſingularis domus aut ædificij, nec enim contigua ſunt cubiculum, culina, penus. Singulę mulieres ſuos liberos ſecum habent, filios autem poſtquam aliquantulum adoleuerunt, patres ad ſeſe recipiunt.

Domus Sabuenſium quales.

Omnes autem horum Barbarorum miſerias & infelicitates longè ſuperat, quod apertè ſunt Dæmonolatræ, quanquam etiam in hac confuſione ſuum quendam ſeruent ordinem. Diem Martis feſtum agitant, vt nos Dominicum, quo non licet ijs piſcatum in mare ingredi, aiuntque illi, ſibi hoc à Deaſtro ſuo, *Fuſſy* expreſſe prohibitum. Hoc Dæmonium miris modis formidant: & quoties grauiori aliquo morbo corripiuntur, conceptis verbis vouent, ab eſu carnium & potu vini aliquouſq; abſtenturos.

Sponſa ſexennes.

In matrimonijs contrahendis nec modum nec legẽ norunt. Nec enim ſolum multas vxores ducunt, ſed etiam immaturas puellas, ſex aut ſeptẽ annorũ, quas tamẽ matres earum penes ſe retinent, donec adoleuerint. Quod ſi dies nuptiarum ſolennitati dicatus adſit, ſponſa magnũ puellarum ſibi adiungit numerum, cumq; ijs proficiſcitur in aream, vbi ſponſus illius & parentum eius aduentum præſtolatur, quibus omnib. præſto exiſtentibus, ornantur ſuo modo ad nuptiale gaudium. Sponſo de collo pendet annulus aureus non exiguæ quãtitatis, corpus ab humeris tectus eſt tænia alba, quæ pars eſt lodicis alicuius aut detriti linteaminis, quod à noſtris acquiſiuit, inque magno apud ipſos habetur precio. Caput ipſius & coma ſcobe aurea inſperſa fulget. Sponſa prorſus nuda eſt, niſi quod Sabano circum ilia vſq; ad genua demiſſo cingitur, in capillitio ſiue antijs habet nonnulla auri fragmenta illi-

Ritus nuptiales Sabuenſium.

gata.

gata. Cui ad se primum accedenti sponsus annulum sibi detractum, collo circumijcit. Linteam vestem siue tæniam albam ipsa sponso detractam suis sibi manibus applicat. Annulum aureum postea patri suo tradit, qui eum sibi retinet, secumq; domum defert. His ceremonijs peractis, puellæ sponsum in profluentem cursim deducunt, eamque per totum corpus probe abluunt, quamquam de exquisita nigredine demere nihil possint. Si facultates sponsi ferunt, instruitur epulum, aliquotq; dies festi ac hilares agitantur, quam solennitatem ipsi sua lingua *Aura Iaba*, Lusitani *Die de Vitalgos*, id est, *diem nobilium* vocant. Emitur ibi Taurus, aut vacca, pro re nata, cum tribus aut quatuor capris, & aliquo vini modo, vnde cuticulam beant. De boue mactato omnia comedunt, præter pellem & ossa. Pellem postquam ad solem siccarunt, pro lecto sibi substernunt, aut Clypeos inde ad vsum belli conficiunt.



Intestina auidissimè deuorãt, delicatissimas & gratissimas palato partes præ omnibus bouis pulpis & carnibus asserentes. Caninam præferunt longè ouillæ, etiãsi canes morbo aut casu perierint, aut Senio, permutãt igitur viuas oues pro mortuis canib. qui illis forte eodẽ numero sunt, quo nobis lepores.

Homines vini à Dæmone abrepti.

Perducto igitur ad finem nuptiali gaudio, abeunt ad *Dæmonium* suum *Fitysi*, sciscitantes, vtrum omnia ritè & ex disciplina maiorum peracta sint: quod si quid ceremoniarum omissum sit, abducit nonnunquam

nouos nuptos secum aliquo, vt integrum mensem lateant; nemine sciente quo abiuerint. Me quidem præsente ac vidente aliquando contigit, quendam qui non præstiterat quæ vouerat, ita viuum abripi: Pollicitus enim fuerat *Fytisio*, se hominem ei repræsentaturum, quem nancisci nullo modo poterat. Cum autem ad suos reuerteretur, interrogatus dicere non potuit, vbi per illos dies fuisset, sed se sine vllius sensus vsu aiebat modo per hanc modo per illam siluam errabundum palasse, donec cum Dæmonio redierit in gratiam.

Si festum reconciliationis huius Dæmonij instat, virorum præstantiores personati & armati per pompam ingrediuntur, omnes ad terrorem compositi, vt si quid tale apud nos cerneretur, spectatores haud dubie Iouem lapidem iuraturi essent, non Æthiopes illos sed atros atque incarnatos esse Cacodæmonas. Id autem eo faciunt, vt liberi eorum hanc adipiscantur immunitatem, ne quis siue peregrinus siue domesticus eos velut mancipia ausit emere, & in seruitutem redigere.

Ius mutui & commodati.

Ius mutui siue commodati inter ipsos tale est. qui commodato vel mutuo sumit, filium aut filiam velut Hypothecam creditori obsidẽ dat, qui eos tamdiu pignoris loco secum retinet, donec restitutum sit mutuum. quod si filium vel filiam obsidem aliquid lucrari, aut acquirere peculium contingat, non sibi nec patri suo id acquirit, sed domino, cui obses datus est.

De puerperis.

Simul ac mulier partu fœtum enixa est, pater illico conuocat vicinos vicinasq; suas, qui susceptum infantem prægrandi folio arboris imponunt, (nec enim stragula aut puluillos habent) incipiuntq; compotare super corpus pueri vt vinum de poculis stillans infantem feriat. Cum igitur incipit clamorem altè tollere, imponunt ei nomẽ, pro ratione clamoris quem edit: velut (vt cum barbaris balbutiamus) *Corankyn*; *Quaku*; *Apei daba*; *Afuri*, aut tale aliquod nostris auribus absonum. Alij tamen etiam in imponendis nominibus diem natiuitatis considerant. Quandoq; illos vocant *Bangalas*, quod nomen apud ipsos preciosissimum habetur. Nostris autẽ Batauis præsentibus, Christiana nomina illis impertiuerunt, qualia sunt, *Petrus*, *Paulus*, *Iohannes*, & huiusmodi. Et vt verum fateamur, potissima eorum pars hac tempestate liberis suis Christiana nomina imponunt. Iustitiæ administratio in tanta Barbarie huius populi mediocris creditur. Singula oppida singulos habent iudices, qui plena cum potestate præsunt, quos ipsi *Hennas* vocant, quorum vnusquisq; quatuor assessores habet, capita ab illis dictos. Quoties conueniunt ad dicendum ius, tecti sunt lacero linteamine pro pallio, & quisq; tribunal suum loro dependens humero secum fert. forma huius sedilis siue tribunalis est qualis chœnicis aut capsæ rotundæ, integitur pelle alicuius animalis. Præter hæc sedilia quisq; etiam secum fert Callabassam suam, id est, poculum ordinarium, itemq; gladiũ, qui est culter latior, & clypeum. Clypeum præferunt destinati huic rei pueri, cum quibusdam *Assaga js*, id est hastilibus siue missilibus præacuto ferro, quæ manu mittuntur. Quatuorviri hi consident ad causas decidendas ante domum *Hennæ*, ibiq; eius operiuntur aduentum: quo præsente actor & reus auditur, & ius rigidè exercetur. Ipsi quidem inter se honestè viuunt, nec alter alterius res furatur; at vero si peregrinis atq; merces suas exponentibus aliquid clam subtrahere possunt, nullo turpitudinis aut honestatis respectu, rapiunt quicquid offertur.

Iudices in oppidis regni Sabou.

Repressalia iniusta.

Quod si quis debitorum tantum contraxerit, vt soluendo non sit, rigido iure venditur, & creditores aurum accipiunt. Si verò & ipse debitores habeat, sed sub alio rege vel principe, tantisper acquiescunt, donec aliquis ex ijs locis, quicunq; tandem sit, veniat. qui si ignarus omnium rerum adsit,

arripi-

arripitur, & tam diu sub arcta custodia detinetur, donec ille debitor, qui superiori debitori obligatus est, veniat & æs alienum dissoluat. quo deserente penitus vadimonium, ille, qui in vinculis detinetur, etsi hæc res omnino ad ipsum nihil spectet, innocens venditur. Hic processus qui ipso iure nullus & iniustus est, sæpe causam dedit magnis motibus, inter Æthiopes, quouis rege subditos suos defendente, vnde quandoq; cruenta exarsere bella. Nec eos, qui semel venierunt, redimere fas est, cum è vestigio in alias & longe dissitas regiones auehantur, vnde reditus in patriam planè desperādus. nec ob hanc solam causam, sed & quia facies eorum fœdè deformatur, frontibus eorum cauterijs notatis, aut vulneribus insignitis genis, vnde turpissimi euadunt. Si quis furti reus peragitur, nec rem furto ablatam restituere potest, itidem venditur, sed eum extra regnum deportare, per leges non licet.

Vxor adulterij conuicta & à marito accusata, exigitur domo & facultatibus viri arcetur, adque parentes suos redire compellitur: quibus si careat, maritus illam secum retinet, sed ea pro serua & ære emta, non nupta vtitur. Si vero vir extra limites matrimonij vagetur, ab vxore ad iudices delatus, damnatur in mulctam pecuniariam. quod si vxor adultera liberos habeat è legitimo matrimonio procreatos, penes virum est, illi permittere, vt liberos illos secum auferat, quæ indulgentia pro magno beneficio reputatur, cum gens hæc præ cæteris sit admodum amans suæ sobolis.

Pœna adulterii.

Cum autem in superioribus à nobis prædicatæ sint diuitiæ & affluentia auri in regno Guineæ, mearum partium esse duxi, in cursu narrationis breuiter commemorare, quo pacto aurum inuestigetur.

Igitur iam primum magnum numerum mancipiorum in eā rem alunt, qui peruestigant aurum non longè à CASTELLO NASSOVIO in sabulo. Quo autem plures imbres aut largiores decidunt, eo melius collocant operam suam. quin & habitationes suas, & vias publicas multoties verrunt, vt inde arenulas aureas proferant. Fuit tempus, cum circiter quingentos seruos Æthiopes in littore vidi, aurum in arena quærentes, habent autem certa quædam indicia latentis auri, ne vaga & errabunda sempers sit illorum peruestigatio. Cum enim is color est terræ aut saburræ, qualis ochræ, certi sunt latere ibi aliquid boni. Nec tamen omne aurum, quod in hac ora colligitur tantum est, vt vel vnius nauis grandioris expensas sarcire possit. Sed *Arambuæ* & *Acanistæ* mercatores ad trecenta milliaria interiora Æthiopiæ petunt, & inde multum auri aduehunt, quandoque ad mille libras. Cæterum *Acanistis* mercatoribus hæc lex dicta est, vti cum fines regnorum illorum attigerunt, consistāt nec progrediantur vlterius sub pœna capitis. Huc igitur delati mittunt ad regem illius regionis, non aliquem è suis sed ciuem regni, cum mandatis, adesse se, vt peregrinas merces cum ipso auro permutent. Auditis his, rex iubet omne aurum in patentem campum conferri, ibi grande tugurium est instar horrei, in quod Acanistæ merces suas exoticas deponunt. Tunc veniunt IMBALLII, id est homines limitanei, qui mercibus ACANISTARVM sublatis, aurum in paruis testulis earum in locum eo deponunt: quibus digressis, mercatores ACANISTÆ accedunt, sublatoque auro domum proficiscuntur. Sic fit, vt ACANISTÆ illos ne videant quidem, quibus cum negociantur, & à quibus aurum pro mercibus suis accipiunt, cæca plane nostrisque hominibus inaudita mercandi ratione. Nec quicquam adeò mirandum est, quam quod nihil fraudis aut deceptelarum inter eos interuenit, neutra enim pars eo nomine de altera conqueritur.

Vnde tantum auri Æthiopici aduehatur.

Acani-

Acanistarum horum superioribus annis laudata fuit probitas & candor, sed ruentibus omnibus rebus in peius, & ipsi incipiunt fraudulenter agere, auro vitiato, cuius rei ipsi artifices perhibentur. Quod si mala fides eorum innotescat, detectaque sit fraus, ab præfecto rerum capitalium arrepti male verberibus multantur, publicatis insuper militi omnibus eorum bonis. Dimissi autem, postquam illos reuerti contingit, mirum in modum veniam admissorum expetunt. Insidentes enim genibus, vtraq; manu pedem mercatoris, quem decipere conati fuerant, apprehendunt, & plantam illius vertici impressam ita leniter ducunt per occiput, frontem, totamq; faciem vsq; ad pectus. Quo facto mercator gnarus moris parum vini distillati in signum factæ gratiæ ijs exhibet. Fuit autem superiori æuo Batauis negociatio in has Africæ partes longè quæstuosissima. Nacti enim sunt, quantum vel desiderare aut optare vix ausi sunt. Vnde tot opibus affluentes negociatores Magnarij per Hollandiam: durauitq; eorum felicitas, donec vna societate vniti coniuncta opera negociarentur. Sed nostro tempore illa societas dissoluta est: qua discordia factum est vt multi inter Hollandos pauperes euaserint, contrà *Nigritæ* siue *Guineenses* facti sint diuites. Ante aliquot annos non plures quatuor nauibus eò appellere solebāt, iam verò vltra viginti, cum tamen prouentus auri multitudini nauium nequaquam respondeat; nec enim maior est quam antiquis temporibus. Id tamen consequuti sunt nostrates, vt propolijs suis & viliori mercium distractione alter alterum manifestè læserit & ad pauperiem perduxerit. Certa enim fides constat, Batauos quotannis ad tria millia pondo auri inde asportasse, præter id quod Lusitani ijs in locis nacti sunt.

Separatio societatum noxia.

Quemadmodum autem sacra auri fames in his regnis non tolerabiliter regnat: ita quoq; peregrini morbi & alijs in locis ac regionibus inauditæ ægritudines dominantur, nec admiratione caret, cum consideramus, morbos illos, non porrigi vltra fines regni auriferi. Grassantur hic in corpora humana febres multæ ac diuersissimæ, quarum iniri numerus aut percenseri nomina nequeunt; præterque has dysenteria cum proluuie sanguinis, Cephalalgia, Hemicrania, lethargus, alij graues affectus, ob aëris puto malignitatem & intemperiem.

Æstus in Guinea incredibilis.

Æstus enim in hoc Africæ tractu tantus est, vt figuli vasa terrea non in furno igne excalfacto, quod nos facimus: sed ad solē excoquant. Nec tamen obstat hic calor flagrantissimus, quin malus quidam humor ibi perseueret atq; dominetur, quod inde patuit, quoties gladios nostros vagina vacuos sub dio posuimus, atro colore infectum est ferrum, quem secuta rubigo, ipsum ferrum tantillo tempore erosit, quasi corrosiuo aliquo inunxissemus: qui effectus forte etiam in corpora humana dominatus est.

Inter cætera autem mala quæ mortales hic degentes affligunt, minimum non est hoc: quod *venenatum genus vermium* in musculis & carnosioribus partibus hominibus succrescant, puta in brachijs, lacertis, femoribus cruribusque siue suris. quin & inuenti sunt; quibus omnes corporis partes hoc malo infestarentur, præter linguam & oculos. Nec quisquam vel indigenarum vel aduenarum ab hac tam fœda lue immunis esse potest, quid quod deterius est, recurrit cum anno vertente malum hoc, vt singulis annis sit vnicuique sigillatim colluctandum cum his vermibus. Quidam simul ac semel à compluribus, puta nouem, septem, pluribus paucioribusue infestantur. Longitudo illis cum maxima vlnæ vnius & dimidiæ, crassities quanta maximo neruo in heptachordo. Dolor, quem creant, acutissimus, cum diris symptomatibus, inflammatione corporis & tremore partium, vt ægri putent

Descriptio morbi verminantis.

tent se morituros æstu, si vel nihil sit aliud. Hæc inflammatio corporis cum cessauit, totum corpus oppletur pustulis, ea prope facie ac ratione, ac si perfusi essent aqua feruentissima, quæ pustulæ siue varioli, postquam euanuerunt, morbus vna cum dolore in crura vel alias partes singulares corporis migrat. ibiq; sedem figit. Ibi tumor exoritur, cum tanta partis inflammatione, vt homines in furorem aut maniam agantur. quàm primum autem vermis maturuit, prodit se exerto capite, & qui hactenus in ipsa carne latuerat, manifestus factus causam morbi aperit, qui quidem cessat, remittentibus feris illis symptomatibus: quo facto vermes prodeunt alius post alium. Qui hoc malo laborauerunt, fere tribus mensibus decumbere coguntur donec restituantur valetudini. Fitq; interdum, vt quibus quatuor aut quinq; solum vermes subnascuntur, multo grauius affligantur, quàm quibus viginti aut plures. Me quoq; necesse fuit eodem malo conflictari, quanquam duos solos vermes extraxerim.



Cautè etiam admodum atque sollicitè agendum est illi, qui vermes hos membris extrahere cupit. nam si durius apprehendantur, rumpuntur, quam rupturam sequitur horrendus atq; exitiosus tumor illius partis. Nam ex parte abrupta, quæ in carne hæsit, profluit albus quidam liquor, præsentis veneni, per omnia similis, qui è vulsa cicuta aut Tithymallo prodit. qui

 carnes

carnes contactas veneno suo inficit, vnde inflammatio & putrefactio partis sequitur. Expectata vero maturitate, & blandè tractati ritè extrahi possunt. Exempti per cutem vbi sunt, vulnus facile coalescit & cicatricem ducit. Multi in ea fuerunt opinione, ex usu aquæ vel vini illius loci hoc malum oriri: qua de causa haut pauci è nostris, vt sibi rectè consulerent, ab vtroque abstinuere: sed frustra fuit, nam eodem cum alijs infortunio correpti sunt. Mea quidem fert sententia, progenerari vermes hos ex aëre humido & supra modum calido, vnde facile putredinem contrahit. quanquam, vt verum fatear, mihi potius sit credere, esse peculiarem Dei vindicis poenam.

Nunc videamus, si placet, quam rationem belligerandi obseruent: quæ quidem vix patebit melius, quàm ex ingenti illo prælio, quod aliquo modo describemus, commisso inter *Arambuenses* & *Acanistas* anno à nato bono publico millesimo sexcentesimo decimo octauo. in eo igitur prœlio circa quadraginta millia ab vtraque parte cecidisse feruntur, cuius rei & stragis fidem fecit multitudo capitum abscissorum quę quotidie attulerant quin & summa senectute viri in *Castello Nassouio* referebant, tantum tamq; atrox prælium à centum annis commissum non fuisse.

Bellum inter Aethiopes, admodum atrox.

Hoc tam cruentum bellum secutum est aliud inter regem *Caramandinum*, *Fonteinensem*, & *Sabouensem*. Vnde omnes viæ larrocinijs oppletæ securitatem iter facientibus omnino ademerunt. Grauissimorum horum bellorum sine dubio index & signifer fuit Cometa ille, qui paulo ante in cœlo arserat, qui figura sua in illis partibus Africæ visus, arcum cum nodo in extremitate repræsentauit.

Hic Cometes in Germania quoq; conspectus eodem tempore exitiale ciuile bellum denunciauit.

Quæ autem in eorum militia sigillatim in considerationem veniunt, breuiter percensebo. Præfecti igitur ac iudices oppidorum, sunt ordinum ductores, & auspicijs regis imperitant militibus, quibus nulla, vt apud nos, numerantur stipendia: cum omnes puberes obstricti sint militatum ire, præter effœtos senes & mulieres, quæ interim domi seruant. Ductore igitur tympanum, quod è lignis concauis combinatum est, increpante tertium, omnes expediti sunt ad inuadendum hostem. Arma eorum potissima sunt *Assagaia* siuæ hastæ missiles, quas manu tam certo, destinato & efficaci ictu iacere norunt, ac si tela essent ab arcu & neruo missa. Præter hæc hastilia paruos arcus secum ferunt, quibus venenatas sagittas tanta celeritate iaculantur, vt narratio omnem fidem sit superatura. Loco gladij lateri aptant cultrum longiorem, incuruum ad instar *acinacis Persici*, cuius anterior pars latior & ponderosior; posterior, quæ & capulo propior multo angustior leuiorque. His cultris ictus inferunt validissimos: vtuntur autem & clypeis scutisq; amplioribus, quibus pene totum corpus obtegere possunt. Iaculo aut telo alio venenato læsi, hoc modo vulneri medicinam faciunt, oleum feruens plagæ infundunt, vnde vis veneni extinguitur, aut amissis feruore viribus languescit. Quilibet inter eos saccum secum in prælium defert, hoc fine, vt si illos vincere contingat abscissa hostium capita secum auferre queant. Cæterum ordines nullos seruant, nec aciei struendæ gnari sunt. Sed nec possunt quidem explicata acie & sub vexillo ingredi. Viæ enim adeo sunt angustæ & tenues, vt ne binis quidem, sed tantum singulis incedentibus pateant, vnde fit, vt longissimo tractu ingredi cogantur. Delati autē in patentem & Marti destinatum locum, celeriter in cuneos & cohortes coeunt, eo ordine obseruato, vt scutati hastatique in prima serie prælium auspicentur, sagittarij postremos obtineant ordines, nec enim telum ab neruo mittentes hostem recta linea petunt, sed iaculum in altum mittunt: quod maiore vi decidens

Armatura Aethiopum.

decidens in pugnantes hoſtes penetrat fortius. Sunt autem in pugna animo forti atq; præſenti, nec facile cedunt hoſti, nec ſtationem deſerunt, donec nox dirimat prælium.



Interea temporis dum viri militiæ ſunt, mulieres domi ſerta plicant, choreaſque ac tripudia agitant, ſcilicet vt viros victores è pugna redeuntes corollis victoribus conuenientibus ornent: *Fithyſiumq;* Dæmonium ſuum implorant, nec modus ſupplicationibus vllus, donec ſignum aliquod victoriæ cernant, puta ſi quis ex ductoribus militum numerum aliquem capitum hoſtilium domum mittat, mulieres gaudio afficiendi gratia: quanquam hic nuncius interdum ſit fallax, & boni illi Afri ſæpenumero, vt eſt in prouerbio πρὸ τῆς νίκης Παιᾶνα. Mars enim cùm ferè ſit ἀλλοπρόσαλλος, illis quandoq; ſub initium fauet, vnde putant ſe iam victoriam in manibus habere, quæ tamen, cum ſit alata, facile auolat, & in aduerſa caſtra tranſit. Quod ſi autem verè vincant, omnibus hoſtibus, quotquot potiuntur abſcindunt capita, tam viris quam mulieribus, quin & infantibus in vtero materno latentibus non parcitur, tantum eo fine, vt magnum capitum hoſtilium numerũ domum referat. gloria enim fortitudinis & laus bellica omnis dependet à numero capitum.

Hinc ordiuntur cantum & ἐπινίκιον tam abſono & horribili clamore, vt audientibus tremor incutiatur & aures doleant. Nec finis aut quies ab hoc

tam absurdo boatu, donec domum perveniant, aut raucescant guttura vociferantium. Delati ad patrios Lares capita hostilia in pauimentũ proiiciunt, iracundis similes, eaq; pedibus calcant, quod idem & mulieres faciunt. Tandem capita illa aqua feruenti coquunt, carnesq; ac cerebrum studiosè auferunt, Cranium patrifamilias cedit, mandibulum inferius cum dentibus seruo. Hoc facto solennes choreæ agitantur in omnibus villis pagisq;, vbi mulieres viris à bello reuersis donaria offerunt, inter quæ Accaras, id est fragmenta auri, quæ in ornatum capitis intexunt capillis, vt pugnando se vicisse significent. Mancipia eorum seruiq; mandibula inferiora bacillis alligant, quibus sublatis in altum saltando tantisper insaniunt, donec lassi in terram concidant & loquela priuentur. quæ quidem rabies hanc excusationem inuenit, quod dicant stolidissimi mortales, hac ratione se deastrũ suum colere. Crania siue caluarias diligenter asseruant, è quibus vinum bibunt diebus festis, in monumentum partæ, vti aiunt, victoriæ, & ignominiam hostium.

Batavi in bella Æthiopicis, quibus auxilio fuerint.

Nos quoq; aliquando necessariò bellis illis impliciti fuimus, coacti illis suppetias ferre, qui nos beneficijs affecerant & fauorem nostrum promeruerant: præ cæteris autem bonam & fidelem operam præstitimus *Reg: Sabou*, absque qua si fuisset, non est dubium quin à vicinis populis omni regno pulsus fuissent. Ingentes enim animo hi barbari conceperant iras, quod *Henna Iafar Iafarij* Hollandis locum commodum donasset extruendo tam munito Castello, in cuius loci præsidio ego quoq; per triennium stipendia feci. fuitque hoc Castellum vicinis gentibus instar lupati in ore, quo cohercitі nec Hollandis nec *Regi Sabu* tantum excursionibus suis damni dare potuerunt. Regnum autem eius non adeò longè lateq; patet. Nam vicini Reges *Caramandinensis, Accarensis, & Commendensis* Hispanorum amici, hunc regem *Sabou* vi & armis ad tributum soluendum cogere volebant. Igitur *Caramand nenses* primi regionem eius armati inuaserunt, magnam ipsius militum multitudinem occiderunt, cumque ijs ipsum regis filium: non tamen aperto prælio, sed perfidè & per insidias. Vnde magno timore perculsus rex, nostrorum auxilium trepidè implorauit. nec nos amico regi defuimus, missis ei subsidio triginta Hollandis Musquetarijs, probè armatis, sub ductu *Abrahami Petersonij Harlemensis*, signiferi nostri, & trecentis Æthiopibus è pago *More*, quibus cum Signifer ille hostem inuasisset, multum ei formidinis intulit & longè repulit.

Die quodam ad vesperam inclinante nostri milites oppidum *Sabou* petierunt: quibus rex imperauit, vt summo cum silentio montana *Caramandinorum* peterent, se cum omni exercitu reliquo, cum tempestiuum foret, omnino secuturum. Ita nostri omnibus rebus sibi prospexerunt, vt per diem sequentem durare possent: in primis autem magnam vim aculeorum tripartitorum è ferro sibi fabricarunt, quos in viam proijcerent, vt nudipedes Afri, nostros insequentes acrius, pedes ijs induerent: quæ res, quodue consilium effectu suo non caruit. Vt primum enim nostri milites in hosticum agrum peruenerunt, securos, nihilq; minus quam internecionem metuentes inuenerunt *Caramandinenses*, sed mox senserunt Nigri illi, quid Musquetæ Hollandicæ possent. Ibi diuisi nostri vias insederunt, ne quis fuga elabi posset. Hoc initio facto trecenti illi, quos militibus nostris adiunxeramus, alacrius solito securos hostes inuaserunt, & horis non totis duabus tantam inter eos ediderunt stragem, vt trecẽta circiter capita hostilia nacti fuerint: quamquam multa inter ea muliebria & puerilia. Ipsi enim Æthiopes narrant, multò expedire, mulieres & pueros necare, quam viros, ob eam rationem, quia mulierum potissimum ope gens inimica multiplicaretur, & pueri

vbi

vbi adoleuissent, parentum cædem essent vlturi. Orto autem die omnia terrore & formidine repleta sunt, & Nigri uostri plura capita attulerunt: neque enim fatigabantur hinc inde discurrendo, cum cursu sint tam celeri, vt vel cum damis aut ceruis curriculo certare valeant. Fama autem irruptionis nostræ ad regem delata, magnam vim suorum subditorum collegit, iustumque formauit exercitum, vt Batavi nostri in non exiguo metu fuerint & periculo. Nam Nigri nostri illucescente sole capita cæsorum in vnum aceruum congesserunt, villas autem pagosq; *Caramandinensium* incenderunt. Quibus conflagrantibus, tanta hostium multitudo confluxit, vt latissimum terræ spacium cooperirent. Contra nostri erant admodum pauci numero, tutiores tamen ob angustiam viæ, qua ad ipsos aditus patebat, vnde à multis simul inuadi non poterant. Non quidem negauerim, pulsos loco nostros à tanta multitudine, sed citra nostrorum damnũ. Diuisis enim quadripartitò globis plumbeis, scilicet vt vno ictu ferirent plures, in eos assiduè iaculati sunt, magno cum hostium detrimento, plurimi enim tunc occubuerunt. Si quando hostes acrius impressionem facerent, ibi celeriter nostri aculeis istis dolosis in viam proiectis effecere, vt insequentium promptissimi quiq; grauiter sauciati ne consistere quidem possent, sed confestim caderent, & ita corporibus suis, in sequentibus viam occluderent. Didicerunt & hanc euitandi globorũ ictus rationem. Si se sclopetis peti animaduertunt, celerrimè humi se prosternunt, proni in ventrẽ cadẽtes, cum autem errasse ictum, nec sese tactos intelligunt, eadem celeritate corpus terra leuãtes erecti adstant.

Finito hoc prælio Hollandi nostri domum reuersi sunt cum magno triumpho, excepti à popularibus summo gaudio, cum non amplius vno viro in conflictu amisissent, cui ceruices ipsi preciderunt, ne hostes potiti eius capite, ob cæsum vnum Hollandum magnifice sese efferre possent.

Duobus mensibus post hunc conflictum Illustres ordines miserunt nobis in subsidium nauim militariter instructam, cui nomen *Geldria*, quæ feliciter portum nostrum intrauit, commeatum ferens & ad bellum necessaria. Hæc nauis nobis omnium prima nunciauit, *Fridericum Palatinum Electorem ab ordinibus regni in Regem Bohemiæ electum & assumtum fuisse.* Nos eo perfusi gaudio omnes machinas quę erãt in arce displosimus, nec minus illi tonuerunt, qui in nauibus subter ipsam arcem in anchoris stabant, adeo vt ingens fragor omnia vicina loca personaret. Lusitani auditis tam frequentibus tonitruis existimabant peregrinum aliquem hostem aduenisse qui nos oppugnaret, in quem finem aliquot Myoparones speculatum emiserunt, qui referrent quæ causa esset, & quid rerum gereretur. Cum autem iam dies illucesceret, & ipsi propius ad nostras naues accedere non auderent, quas videbant adhuc quietas in statione subsistere, facile animaduerrere potuerunt, aliam aliquam huic rei subesse causam. Intellecto autem, nos nouum militem accepisse, mœsti se ad suos receperunt. Interim non desierunt nos de pace sollicitare, aut de inducijs, vt nostra intercessione cum *Rege Sabuensi* quoque pacem & fœdus ferire possent. Quod vt facilius impetrarent, iam aliquot auri libras Duci nostro dono obtulerant: sed omnia ficta erant atq; simulata. Nam naui illa, quæ milites aduexerat, exonerata, & iam reditum in patriam parante, ad pristinas iniurias & insolentiam consuetam rediere. Cum enim nostri Æthiopes ad duo milliaria aquatum in Syluam densissimam profecti essent, nihil mali metuentes ab *Caramandiensibus* & *Fonteiensibus* Afris inuasi & inhumaniter trucidati sunt, qui è nigris nostris ad viginti cæsos capitibus spoliarunt, qui supererant, fuga sibi consuluerunt.

Rex Sabouensium audita hac nostrorum clade, octingentos è sui regni subditis, armis suo more probè instructos, nostris in pagum siue oppidulum More in subsidium misit, quorum ope acceptas iniurias vindicaremus. Itidem & *rex Fotuensium Aquaqua* Hispanorum capitalis hostis de suis ducentos expeditos misit. Hi mille viri barbarico ritu magnificè exornati erant, ardebantq; desiderio vlciscendi hostem. Cæterum decem habebant centuriones siue Capitaneos, quorum nullus eodem modo cum alio ornatus erat. Quidam cineribus madefactis corpus illeuerant; alij strijs & lineis rubicundis, alij flauis cutem depinxerant: nonnulli psittacorum pennis collum caputq; vinxerant: fuerunt etiam qui caudis cercopithecorum ventrem instar cingulorum incingerent; quibusdam hostilium capitum mandibulæ longa serie de collo pendebant. Arma eorum splendida, *Assagaiarum* ferrum tam tersum & ab omni rubigine immune erat, vt candore cum argento certare posset, pars autem auersa erat nigra. Cultros, quibus cæsim feriunt, exacuerant diligentissimè. Cum autem Dux noster vir esset affectus senio, nec ipsi bellum cum Æthiopibus cordi esset, cui implicari prolixius nollet, statuit acquiescere. gratias igitur cum auxiliaribus copiis egisset, & singulos pauxillo vini distillati excepisset, eos ab se dimisit. Volebat quidem eorum opera in nauibus vti, sed ipsi recusabant: terrestrem verò militiam minimè abnuebant. Nihil igitur hac vice effectum est, & Afri suam quisque patriam atque domicilium repetiere. quo antequam peruenirent, multos pagos domosq; hostium Vulcano tradiderunt. Quocunque enim se vertissent, effusa fuga hostes fugiebant, magnaq; formidine omnes correpti erant, in quos ibant: rati Hollandos illis adesse, itidem vt superioribus diebus factum fuerat: horum quippe præsentiam & vim Nigri milites vehementer metuebant, cum vno ictu, vnoq; globo plumbeo in octo partes secto quinque vel sex homines plerumq; læderent, vti suo cum ingenti detrimento fuerant experti.

Armatura Aethiopum nitida.

FINIS ***Nauigationis Tertiæ.***

SAMVELIS

SAMUELIS BRUNONIS CIVIS ET CHIRURGI BASILEENSIS QVARTA NAVIGAtio, qua per fretum Herculeum mare mediterraneum ingressus, Syriam, Ægyptum, Alexandriam, & ex Insulis Maioricam, Maltam, Cyprum aliasq; adiit.

Sub auspicijs & ductu Admiralij siue Præfecti Generalis Holtunij, Zeelandi & Capitanei Thomæ Petersonij, in naui Edamensi, Taurus Niger vocitata, quæ pars erat classis validæ viginti duarum nauium militariter instructarum.

Estque hæc Narratio verum diarium, continens historiam earum rerum accuratam, quæ singulis diebus acciderunt.

ANNO à partu virginis, millesimo sexcentesimo vigesimo, cum deserta *Guineâ Africæ & Castello Nassouio*, nigris illis & excoctis Æthiopibus vale dixissem, conscensa naui, cui nomē erat *Geldria*, in Batauiam profectus sum; cumq; haud multò post Amsterodamū appulissemus, constitui apud animum meum in patriam Heluetiam proficisci. Audito autē, *Ambrosium Spinolam Palatinatum valido cum exercitu ingressum, nihil resistētibus illis qui poterant & debebant*, eaq; expeditione omnes vias ac itinera ad Rheni tractum latronibus oppleta (qui præcipuus effectus fuit illius belli) mutaui propositum; maluiq; adhuc semel me Neptuno credere, quā fallacibus militibus, quantumuis ille ferus & implacabilis foret. Tempestiuè autē contigit, Amsterodami & per omnem Batauiam magnā adornari classem, nauibus omnibus militariter instructis, vnde me incessit desideriū, vna nauigandi, vtiq; postquā intellexissem, classem illam in Occidentalem Indiā destinari, vt Piratas illis in locis mare infestum reddētes persequeretur, Oceanumq; à nebulonibus illis immunē præstaret: cui se erat adiunctura classis Anglicana, auspicijs *Iacobi Regis* adornata, qui eodem tum erat cum Ordinibus animo affectus. Illi enim Piratæ, quorum pars Hispani, pars Afri & Turcæ erant, spacio nouem mensium vltra nonaginta omnis generis nauigia tam Anglis quàm Batauis cum instrumento & mercibus ademerant, habebantq; in vinculis ex his duabus nationibus, partim *Argerij in Numidia*, partim alibi ad sexies mille capita hominum. Quibus iacturis & iniurijs permoti tam Angli quàm Batatii validam classem, quadraginta quatuor nauibus militaribus constantem, expediuerant. Vnaquæque nauis Anglicana quadraginta grandiores machinas vehebat, Batauica autem triginta sex. Militum autem & nautarum numerus ad quatuordecim millia accedebat.

Classis valida Anglorum & Batauorum.

Nobis

Nobis tamen cum classe illa nauigare non licuit, ipsi enim satis erant validi ad debellandum quemuis hostem. Iussus est igitur Nauarchus noster *Orientem* per mare mediterraneum petere, *Syriamq́ & Alexandriam atq́ Alepum* adire, eratq; nobis adiunctus *Cornelius Pauuius*, Legatus illustrium Ordinum, *Amsterodamensis*.

Igitur vigesimo tertio octobris die Anni superius commemorati, cum Amsterodami in Curia principis recensiti, lustratiq; essemus, & quiuis nostrum, tam ex militum quam nautarum numero, duorum mensium stipendium accepisset, vigesimo octauo Octobris die nauis nostra Amsterodami soluit, & cum solis nautis *Texeliam Insulam* appulit. Naues enim militares Illustrissimorum ordinum ea sunt mole atque vastitate, mare autem siue sinus inter vrbem Amsterdamensem & *Insulam Texeliam* tam tenue est & vadosum, vt metallicæ machinæ cum commeatu & cæteris oneribus illis imponi non possint, sed est necesse, vt minoribus nauigijs imposita hæc omnia sigillatim ad maiores illas naues aduehantur, ibi demum naues iusto suo pondere onerantur.



Trigesimo illius mensis die milites cum ductoribus suis, nauem ingressi sunt, & ego vnà cum illis. Interim Dux noster siue Præfectus classis reliquas naues in Zelandia præstolatus est: Quatuordecim autem dies insumti sunt,

ſunt, in naues plenè exornandas & inſtruendas, ne quid rerum neceſſariarum ipſis deeſſet. Præter hæc omnia argenti ſignati vis non exigua nauibus impoſita eſt, viginti octo ſcilicet arculæ plenæ Regalibus numis, qui ſimul ſumti conſtituunt ducenties mille Imperiales Thaleros.

Paratis igitur omnibus ad expeditionem, mandatum nobis eſt, vt mare mediterraneum ingreſſi verſus orientem (quem vulgo Italica voce *Leuantem vocant*) vela dirigeremus *Syriamq́, & Damaſcum, & Alexandriam* accederemus, deducturi eo Legatum (in illis locis Conſulem vocant) Batauicum, vti ſupra à nobis narratum, eiuſque nomen expreſſum eſt. Interea dum Capitaneus nauis noſtræ cum Conſule in pago *Hellera* proſperos ventos expectat, accidit vt Capitaneus morbo aliquo tentaretur. Vocatus ego è naui ad illum acceſſi, qui conſilio meo proſperè & ſalubriter vſus, Deo ſit gloria, mox reſtitutus eſt. Et hæc erat cauſa, quod, etiamſi nulli mortalium, qui ſemel nauim ingreſſus eſt, redire in terram liceat, vetuſtiſſimo inſtituto (quia multos ad maris conſpectum exhorreſcentes formido ad fugam compellere poſſet) mihi tamen permiſſum ſit, comparandorum quorundam medicamentorum gratia Amſterodamum recurrere, ſed magno meo infortunio. Nam interea temporis, dum ego abſum, Eurus ventus diu deſideratus, vela impleuit, cuius beneficio vſa tota claſſis ſine mora ſublatis anchoris patens mare petijt. Ego proſpero vento intellecto, non diu traxi moras, ſed feſtinus nauem meam petij. Cum autem *Texeliam* venirem, tota claſſis iam procul ab Inſula altum mare nauigabat; tribus igitur horis tardius debito adveneram.

Altero autem die ventus acrius incubuit, vt illi quidem cœptum iter verſus *Angliam* continuarent, ego vero ipſos inſequi non poſſem, quæ cauſa fuit, vti tribus continuis menſibus mihi *Texeliæ* hærendum fuerit, à vigeſimo tertio die Nouembris vſq; ad decimũ tertium Decembris. Tandem nactus occaſionem nauigandi cum naui à *Medemblica* profecta, cuius Nauclerus *Bruno Volkerſonius* dicebatur, claſſem inſecutus ſum. quod ſi nauem aſſequi non potuiſſem, iam omnia perdita erant, quæcunq; ſuperioribus tam periculoſis nauigationibus, & toto triennio in *Guinea* atq; *Caſtello Naſſouio* regniſq; auriferis acquiſiueram.

Is igitur *Bruno*, *Brunonem* alium, me inquam, miro fauore complexus, gratis & ſine naulo pollicitus eſt ad claſſem adducturum, quod & liberaliter præſtitit. Sed non multo poſt, quàm vela ventis expandimus, ingens imber cum tempeſtate & procellis nobis incubuit, qui nos coegit in *Zeelandiam* vela derigere & portum aliquem petere. Ita decimo octauo Decembris die *Vliſſingam* appulimus, vbi accepimus nuncium de noſtra claſſe, ſtare illam ſaluam & incolumem in anchoris ad portum *Douerenſem Angliæ*. Quo intellecto, celeribus & diſpoſitis equis vſus *Sluiſam*, hinc *Dammum*, *Brugas Flandriæ*, *Oſtendam*, *Nouum Portum*, *Duinkerkam* perueni, inde traiecto freto in Angliam vigeſimo tertio illius menſis die appuli: vbi totam claſſem noſtram Batauicam inueni, quæ ibi Anglicanam præſtolata fuerat. In nauem igitur meam poſtquam perueni, reperi ibi alium Chirurgum Anglicum, qui operam ſuam nauarcho meo addixerat. nemo enim crediderat me reuerſurum, ſed vſum occaſione manendi in Hollandia, vtiq; poſtquam è naui dimiſſus fueram. Hoc intellecto, propoſui conditionem Chirurgo Anglicano, vt ſi in locum meum ſuccedere vellet, Ciſtam meam inſtrumentis Chirurgicis & medicamentis plenam ſibi emeret, mihiq; pro ea præſenti pecunia ſatis faceret, cæteroquin me eam naui extractam in vicinum oppidum aſportaturum. Nec enim medicaminibus nec inſtrumentis ſatis inſtructus erat, ſed meis hacte-

nus vſus fuerat, vſurumq; ſe impoſterum ſpem conceperat. Cum autem precium illius mihi aut non poſſet aut nollet perſoluere, dimiſſus ad ſuos redijt, ego verò in locum meum reſtitutus ſum.

Vigeſimo ſeptimo illius menſis die, à portu Angliæ ſoluit tota claſſis, & in altum profecta eſt.

Sequenti die circa medium noctis adiunxit ſe nobis alia quædam nauis quæ inita nobiſcum ſocietate Alexandriam in Syriâ nauigatura erat. Cum autem denſæ eſſent tenebræ, nauis illa imprudentia gubernatoris tam grauiter in noſtram puppim impegit, vt aliquot locis quaſſata, & ambulatoria grauiter læſa, imo omninò deterſa fuerint, magnoq; labore vix ſeparatis nauibus, ſatis nobis fuerit quod repararemus.

Annus 1621.

Sexto Ianuarij die anni noui, ideſt à Chriſto nato milleſimi ſexcenteſimi, vigeſimi primi tanta procella nos adorta eſt, vt malus anterior nauis cuiuſdam nimio ventorum impulſu in mare prolaberetur: alia autem prægrandis nauis magnum velum ſuum penitus amitteret: ipſa autem claſſis, adeo in diuerſas partes diſſiparetur, vt non niſi vna nauis è minorum genere à nobis conſpici poſſet, vſq; ad decimum Ianuarij diem.

Vndecimo autem ſerena nobis tempeſtas illuxit, nos curſum noſtrum proſecuti ſumus, vt à meridie Hiſpania & caput *Sancti Vincentij* haud procul à *Gadibus* ſe nobis in conſpectum daret. Vidimus inſuper duas peregrinas naues, quas Piraticas aut Turcicas exiſtimauimus. Quidam igitur è noſtris nautis conſcenſa ſumma malo circumſpiciens adhuc quindecim alias numerauit, quas & ipſas Turcicas eſſe arbitratus eſt, eo nomine, quod curſum ſuum recta ad nos dirigerent. Ipſi autem maturè obſeruauerant, nos eſſe Batauos & ex eo numero, qui ipſas tutelæ & ſecuritatis ergo (mercatoriæ enim naues erant) comitati multum profuerant. Amicè igitur nos ſalutauimus, & ita vtriq; diſcedentes illi ſuum nos noſtrum iter perſecuti ſumus.

Fretum Herculeum ſiue Gaditanum.

Duodecimo huius menſis die *Fretum Herculeum* (quod hodie *Strictum ſiue ſtretto de Gibraltar* vocant) ingreſſi ſumus. Separat hoc Fretum Europam ab Africa anguſto mari, & vbi Oceanus in mediterraneum mare admittitur, non niſi quatuor milliaria in latitudine habente. A parte ſiniſtra ingredientibus eſt Hiſpania verſus arctum, regio illis in locis omnium bonarum rerum ferax. At ex altera parte in *Mauritania* intra *Tituanam & Tangieram* mons eſt præaltus, qui ob eam cauſam ludicrum apud Germanos nomen habet, quod in eo permultæ ſimiæ & cercopitheci ſubinde conſpiciantur, vt & Leones.

Cæterum oppida illa *Tituanam* & *Tangieram* Luſitani incolunt, gentes autem à veteribus *Mauri & Mauritani* dicebantur. Hiſpanorum Rex ſexto ab hinc anno validam ibi claſſem habuit: cum autem *Don Iohannes Vaſardus* Summus claſſis Imperator ætate ac annis grauis eſſet, Rex *Philiberto Allobrogum principi* illam dignitatem obtulit, eumque Admiralium creauit, cui ſolennitati me quoq; tunc intereſſe contigit. Conſtabat autem illa claſſis triginta ſex magnis nauibus militariter inſtructis, & triremibus viginti quatuor. Hac claſſe Hiſpani ex ſuis portubus ſoluerunt, illatoque bello *Regi Marocano*, famoſum illum & capacem portum *Marmora* dictum occupauerunt, quod eo ſe ſcelerati Piratæ tanquam in ſecuram ſtationem ſubinde recipere ſolebant, rapinaſque ſuas ac ſpolia illuc congerebant. Ipſe autem *Rex Marocanus* receptator erat piraticam exercentium, & prædæ in ſocietatem turpi ratione veniebat. Mauris autem nauali prælio decertare auſis, præcipuè emicuit virtus Bataui cuiuſdam, cui nomen *Iacobo Sturmio, Amſterodamenſi*, qui tam forti-

Rex Marocanus piratarum ſocius

fortiter & feliciter in hostem pugnauit, vt virtute eius cognita, mille Regales nummos grandiores ei numerari iusserit.

At verò Hispani milites, qui in naui huius *Sturmij* vehebantur, non lætati sunt hac gloria. Centum enim & sexaginta ex ijs, è Batauis autem sex pugnando occubuerunt. Nauis autem ipsa *Tygris* dicebatur. Idem hic *Iacobus Sturmius* Venetis postea operam suam approbauit, fuitq; adeò ab Duce & & Senatu illius Reipublicæ cohonestatus, vti ei è publico ærario quotannis mille floreni, vsque ad extremum vitæ diem percipiendi, Senatus Consulto decreti sint. Ipsi quidem Iberi Piratas, qui fere omnes Christiani haberi volebant, occupato portu exegerunt: simul ac autem Hispani discesserunt, perditissimi nebulones ad Mahumetismum defecerunt plerique, vnde plus damni in mari post hæc tempora quàm ante dederunt: in societatem enim Turcarum, qui *Tuneti* & *Argerij* habitantes piraticam exercebant, venerunt, non tantum desertores & transfugæ Christianorum, sed & capitales hostes.

Non mirandum piratam Mammelucquum fieri.

Habet aut *Rex Marocanus* in hac Mauritaniæ parte multa adhuc Castella & fortalitia, velut *Sophiam, Saleam, & Sanctam Crucem*: Hispani autem portum Marmoram firmiter muniuerunt, collocato ibi valido militum præsidio ad custodiam stationis.

Sex milliaribus ab hoc portu Marmorensi rudera vetustissimæ ciuitatis inueniuntur, quæ olim *Leonum Ciuitas* dicta fuit. Et nunc ruinis idem nomen hæsit, sed ob hanc puto causam, quod Leones ibi in subterraneis fornicibus siue cameris cubilia sua habeant, vnde nulli satis, quantumuis armato, tutum propius accedere.

Decimo quarto huius mensis die ventus contrarius nos ad *Malagam* in regno *Granatensi* appellere coegit, vbi naues nostras, quæ iam rimas agere incipiebant, refecimus, & armamenta purgauimus.

Sequenti die cum potissima pars populi è naui in terram exscendisset, quidam è domesticis Consulis siue Legati, qui nouæ *Arminianorum Sectæ*, (cuius nomen nimis frequens per Batauiam) addictus erat, Aurangiæ Principi *Mauritio Nassouio* inclementer dicere, eumque Salibus perstringere ausus est: inter alia hæc quoq; verba effutiuit: etiamsi ipsum vel mori è vestigio contingeret, Batauis eo nomine neque dolendum neque laborandum fore. Audiuit hæc gubernator nauis nostræ, &, vt est nautarum natio violenta & ferox, prosiliens, pugione confodit hominem, suo malo loquacem. post grauitatem facti considerans, in facellum quoddam propinquum, velut Asylum confugit. & ille quidem libertate hac tunc gauisus est, alius tamen gubernator nauis, neglecto illo priore, in locum eius est subrogatus.

Arminianus Mauritium principem cauillo lædens confoditur.

Decimo nono Ianuarij die in portum *Malagæ* appulit Proprefectus classis Anglicæ, cum nouem Regijs nauibus bellico apparatu instructis, qui *Argerio* veniebat, vbi grande consilium animo in piratas agitabat. Ad sexaginta enim naues piraticæ illum portum ingressæ fuerant. Has omnes igne concremare apud animum suum deliberauerat audax Anglus, sed noxio conatu. quadringentos enim milites perdidit, nec quod cogitauerat, effecit.

Vigesimo illius mensis die *Malagæ* portum intrauerunt tres Gallicanæ naues *Massilienses*. Has inuaserant Turcæ: sed Galli adeò fortiter restiterant Piratis illis, vt se suaque omnia seruauerint: quin illud quoque addebant, (nescio vtrum iactanter more gentis, an verè) si vel exigua spes aut subsidium illos subleuasset, se mirabilia patraturos fuisse, fides sit penes historicos.

Vigeſimo quinto die actuaria nauicula Batauica eundem portum ingreſſa eſt: narrabant, qui ea vehebantur, Hollandi, nauem ſuam ab Turcis expugnatam captamq; fuiſſe. Velle ſe igitur noſtros monere, cauerent ſibi, darentque operam, ne quid detrimenti caperent: vidiſſe enim ſe ingentem nauium numerum, exiſtimareque meros Turcas illis vehi; Quem nuncium vbi accepit Præfectus militum, è maiore tormento tonuit, quo ſigno audito omnes ad naues properabant. ita factum eſt, vt circa veſperam vela explicaremus, leuatiſque anchoris, cum alijs tribus nauibus mercatorijs altum peteremus.

Claſſis Turcica in mari Sardoo.

Altero die, qui erat quintus & vigeſimus ad claſſem quandam triginta nauibus mercatorijs conſtantem delati ſumus, quibus duæ naues magnæ militares cuſtodiæ cauſa erant additæ ab Illuſtribus Ordinibus Belgij; quibus cum imperio præerant, illi quidem *Guaſto Enchuſinus*; huic verò *Ianus Tiſſonius Hornenſis*, vterq; Capitaneus. Interceperant hi nauem piraticam Turcicam, ſub promontorio, Capo Sparto dicto; haut longè à littore *Numidico*. Piratas omnes in mare præcipitatos ſubmerſerunt, prędæ quicquid erat, ſibi vendicauerant, nauemq; igne combuſſerunt.

Pirata ſubmerſi.

Vigeſimo ſeptimo cum duabus nauibus mercatorijs ſiuè onerarijs à claſſe ſeceſſimus, curſu noſtro verſus Sardiniam Inſulam directo.

Vigeſimo octauo huiuſdem menſis die contigit nobis inter duo promontoria, *Caput Gutti*, & *Caput Palatij* iterum ad claſſem deferri. *Ianus Tiſſonius*, alterius nauis bellicæ præfectus piraticum nauigium diu inſecutus fuerat, quin & quadraginta globis ferreis petierat, ſed Pirata beneficio noctis euaſit.

Nono & vigeſimo die plures naues ſeſe adiunxere nobis ſocias, quæ è diuerſis locis ſoluerant: duæ AMSTERODAMO, duæ HAMBVRGO duæ ENCHVSIO, & itidem duæ MEDEMBLICA. His omnibus idem erat animus, nauigandi nobiſcum MALTAM INSVLAM; præter vnam quæ CRETAM INSVLAM, (ſiue CANDIAM vt hodie vocant) ſibi adeundam dicebat.

Vltimo Ianuarij die haud procul *Terrâ Firmâ* ſummo mane duas naues Turcicas vidimus. Perſuaſerant ſibi piratæ, nos eſſe mercatores, quia ſoli nauigabamus (noctu enim per imprudentiam deſeruerant nos ſociæ naues, errore tenebrarum). Et iam altera nauis piratica, quæ quadraginta duobus tormentis, & trecentis viris erat ſatis militariter inſtructa, qui maxima ex parte MAVRI erant ab ARGERIA, altera inquam nauis Turcica proram in nos obuerterat.

Altera erat è Myoparonum genere, vulgo furgatas vocant, magnitudine aliquantum infra Triremem. Vehebantur hac circiter ſexaginta latrones. Cœlum erat tunc temporis ſerenum, & ſilentibus ventis quieſcebat mare. Hac potiſſimũ de cauſa arbitrabantur piratæ ſe prædæ non aſpernandæ compotes fore, quam iam ſpe & animo præceperant. nec ſane falſi fuiſſent, ſi euentus eorum expectationi reſpondiſſet. Nam, vt initio huius narrationis diximus, viginti octo ciſtas regalibus nummis plenas nobiſcum vehebamus, hoc ipſi quidem ignorabant, donec tam propè ad nos acceſſerunt, vt iam ex ſua in hoſtram nauem tranſitum meditarentur. Ibi Capitaneus noſter, vt & Conſul ſiue Legatus Ordinum; milites vterque ad virtutem cohortati, exemplo etiam præiuerunt. Iam Sol micabat, & dies ſua capiebat incrementa, cœpimus oſtendere, nos bellatores non caupones aut mercatores eſſe, & cum dicto initium pugnæ factum eſt. Viſis autem hoſtes machi-

Prælium nauale.

nis nostris tantæ vastitatis, è quibus ferrei globi viginti quatuor librarum prouolabant, minor nauis, siue Myoparo fuit sine forgata, statim se in fugam dedit. Altera autem quæ duplo maior erat, quæ ante duas horas magnificè se efferebat, & ipsa fugam circumspiciebat. Qua timiditate piratarum animaduersa, aduenientibus interim & octo nauibus onerarijs, quas superius recitauimus, creuit nobis audacia; iniectis igitur harpagonibus de ferreis catenis pendentibus, hostilem nauem ad nos traximus, ne posset effugere, &



hoc fuit initium nostræ victoriæ, diuinitus nobis concessæ. E vestigio enim nostri milites in eorum nauem transilierunt, inque nigros latrones iusta iracundia ita sæuierunt, vt è trecentis non plures tredecim superfuerint viui, qui & ipsi eodem fuissent affecti præmio, nisi metu ingenium faciente, se in abditissimas nauigij partes occuluissent. præter hos, quicquid fuit mortalium, ferro sublatum est, nullo capto neque seruato. Ab nostra parte viginti omnino cæsi sunt, quadraginta sex vulnerati. Ad *Sardiniæ* littus aduecti nostros sepeliuimus more militari, satis honestè, haud longe à *Calari*, quæ est caput *Sardiniæ* Turcas autem, vt erant cæsi, in mare præcipitauimus, piscibus escam præbituros. Cum autem nostri nautæ nauem exonerarent, prædâ in nostram translata (quæ ex æquo & bono diuisa est) & iam in eo essent, vt grandiores machinas extractas alibi collocarent, in quodam abdito lati-

Trecenti Turcæ in vna naui cæsi.

bulo, vbi machina tractoriâ siue haustrum erat, exantlandæ sentinæ, inuenerunt tredecim Turcas latitantes, & insidentes genibus misericordiam hominum implorantes, qui spelunca illa extracti, vinctique loris ad Capitaneum adducti sunt: qui constituerat omnino secundum leges sibi in Batauia dictas eos viuos submergere: sed Legatus exorauit eum, vt vinctos secum in Maltam Insulam deducere mallet. Captiui hi fassi sunt, se nauem hanc ante mensem circiter Batauo Nauarcho ademisse. Altero die, qui primus erat Februarij mensis, oriente Sole à longe vidimus Maioricam Insulam, vbi duo nauigia minuti generis nobis obuiauerunt: alterum erat Hispaniense, septimumq; iam mensem in mari errabat, vectores eius capti fuerant à Turcis & Argerij seruiuerant: Alterum erat Anglicanum, vehens viginti omnino viros, & hi inter mancipia Maurorum fuerant. Illud *Barchinonem Hispaniæ*, hoc *Massiliam Galliæ* petebat.

Tertio Februarij mensis die vehemens flabat Eurus. nos eo vsi obliquè relicta *Corsica Insula Sardiniam* appellere coacti sumus, vbi defunctos nostros, qui in prœlio nauali interierant, humauimus haud longè à littore, iuxta *Pharum*, siue turrim editam, vnde noctu ardens ignis nauigantes instruit. Nec enim nobis à Sardis Calarensibus permissum fuit, vt in cœmeterio eos tumularemus.

Ptorex *Sardiniæ* qui *Calari* residet, nobis aliquot cados vini donauit, panesq; recentes suauissimos, vt eo donario ægri reficerentur: collaudauitque nostrorum militum fortitudinem.

Septimo eiusdem mensis ventus ab Occidente spirauit, celeriter igitur sublatis anchoris cursum nostrum *Maltam* versus tenuimus.

Nono die iterum Turcica nauis conspectui nostro se obtulit, sed visis nobis subitò ex oculis nostris se subduxit.

Separatio nauium.

Decimo die Februarij *Siciliam Insulam* conspicati sumus. Eodem die circa vesperam cæteræ naues quæ hactenus nobiscum vela fecerunt, nos deseruerunt, vna quidem *Candiam* petens reliquæ vero Calabriam & Apuliam extremas Italiæ regiones.

Sequente die nauem aliam conspeximus, quæ nos per totam noctem insequuta fuerat. Cum autem proram illi obuerteremus, inuasuris similes, repente fugit ac disparuit. Ita eodem die *Siciliæ* littus legimus, (vbi *Æthnam montem*, qui hodie *Mont gibello* dicitur, de nocte horrendum in modum ardere, fumumq; fauillis mixtum euomere vidimus) & circa vesperam *Maltam* (siue *Melitem* potius) propè accessimus, quo etiam sequenti die peruenimus.

Mos peregrinos percunctandi in Malta Insula.

Sub primum nostrum aduentum quatuor triremes armatis plenæ nobis in occursum prodierunt, quæ vbi ad nos accesserunt propius, percunctatus est earum rector, qui homines, & vnde? Vix hæc dixerat, cum vexillum Turcicum in summa naui conspexit, vnde facile fuit ipsis coniectura assequi, quid rerum gestum esset. Hinc iniecto rudente, quia venti altum silebant, quatuor ille triremes, remigio vsæ, nostram nauem, velut quadrigæ currum, in portum traxerunt. Nemo tamen ex ijs nauem nostram ingredi ausus est, donec satis euidenter demonstrassemus, nos ex locis contagione laborantibus pestifera minimè profectos fuisse.

Igitur portum vbi ingressi sumus, aliquoties illos machinis grandioribus salutauimus, qui & ipsi nihilo magis pulueri pyrio parserunt, sed responderunt, tam ex triremibus, quam ab arce *Sancti Elmi*, quod præcipum Castellum est illius Insulæ.

Die

Die decimo tertio multi ex Equitibus Melitensibus scaphis circa nostram nauem vecti eam studiosè perlustrauerũt. Vtraq; enim nauis, tam nostra quàm ea quæ in potestatem nostrã venerat è Turcarum manibus, variè tormentorum ictibus lacerata fuerat: quæ res ipsis non parum admirationis attulit, multò autem magis obstupuerunt, postquam intellexerunt, centum & duodecim viros (tot enim omnio eramus in vniuersum Batatui) contra trecentos exercitatissimos piratas pugnauisse, ijsq; & victoriam & vitam extorsisse: accedente insuper machinarum ænearum numero, quo nos longè superarant, cum nostra nauis non nisi triginta duobus, illi autem quadraginta duobus grandioribus tormentis instructi essent.

Decimoquarto huius mẽsis die, cum nemo è nostrorũ numero laboraret morbo aliquo, sed omnes essent integri & sani (præter saucios) nacti sumus licentiam *Maltam* ingrediendi, cum morem illum à maioribus acceptũ diligenter obseruẽt, vt quicunq; naui appellant ad portũ, in oppidum atq; adeo ipsam Insulã minimè admittantur, nisi exploratum certumq; sit, in omni nauigantium numero ægrum aut cõtagioso aliquo morbo infectum nullũ esse.

Mos Melitensium in cauendo contagione.

Decimoquinto die Capitaneus noster captiuos illos Turcas, quos in naui à nobis expugnata se occuluisse, ac postmodum in latibulis suis deprehensos fuisse supra diximus, ad *Magnum Rhodiæ militiæ Magistrum* misit vt eos tantisper in carceribus asseruaret, donec totidem Christianos in Turcicis triremibus seruientes adipisci posset, vt vorsura atque permutatione facta Christianos cum Mauris mutaret. Qui autem eo tempore summum, inter Equites *Melitenses* Imperium tenebat, Gallus erat.

Inuenimus etiam *Maltæ* Nobilem quendam Germanum, *Iacobum Christophorum ab Andlau*, qui nuper eo venerat, loca Sancta religionis gratia aditurus. Magnus ille Magister ordinis comiter admodum & benignè nos habuit, iussitque, vt sui fabri nauem nostram, quę tam masculè pugnauerat, diligenter reficerent. Quin & donis muneribusq; nos affecit, misso vino *Syracusano*, commendabilis bonitatis, ad plaustra quatuor, duobus item bobus, duodecim veruecibus, vigintiquatuor Gallopauonibus, & è Gallinaceo genere, vltra centum; dedit præterea pulueris nitrati doliola octo, pomorum auratorum & Limoniorum vim magnam; satisfecit insuper pharmacopoeo pro omnibus medicamentis, quæ ad vsum ægrorum, quos curabam, ex pharmacopolio petieram. Erat enim princeps magnanimus & liberalis, amator virorum fortium.

Hæsimus in hac Insula vsq; ad vigesimum quartum superioris mensis diem. Ibi cum, proficiscendum nobis esset, tribus instructis triremibus nos deduxerunt, cum autem in alto essemus, ingens vtrinq; editus est fragor & tonitru è machinis igniuomis, qua ratione alij alijs valediximus. Nos pereximus in Orientem, petituri Cretam Insulam.

Vigesimo octauo die Februarij circa vesperam apparuit nobis promontorium extremum *Cretæ*, eratq; cœlum sudum & serena tempestas.

Primo die mensis Martij relicta ab læuo latere *Cretâ* (siue *Candia*) Insulâ, *Rhodum* versus atq; *Cyprum* proras direximus.

Martius mensis.

Quarto Martij Turcicam nauim è minorum genere prope *Rhodum Insulam* vidimus, sed Turcæ cum vento vterentur admodum secundo, illius beneficio euaserunt, & celeri fuga se subduxerunt.

Quinto die detexit se *Cyprus Insula*, olim Venetorum nunc Turcico Imperio subiecta; vt & postero die *Famagustam Caput & Reginam Cypriarum vrbium* conspicati sumus. Venti erant vehementiores, donec septimo die *Portum Antiochensem* procul conspeximus.

Cyprus Insula.

Octauo

Octauo Martij die nauem Gallicanam, quæ *Massilia* veniebat, in via assecuti sumus, quæ nauis & ipsa *Alexandriam* petebat.

Nono die superioris mensis *Alexandriam* peruenimus, circa vespertinum tempus, vbi in portu offendimus naues quatuor Hollandicas, sex Gallicanas, & prægrandem illam molem, quam *Gallionem Sancti Marci Veneti* vocant; hi omnes frequentibus tonitruis ex ære cauo emissis nos salutauerunt, quibus & ipsi respondimus.

Vndecimo die Consul siue Legatus Batauorum scapham ingressus, in terram deuectus est, cum prius omnibus Capitaneis & nauarchis, qui tam in nostra quam alijs nauibus erant, valedixisset: quo discedente, omnes ordine naues è grandibus tormentis centies quinquagies sexies horrendum in modum tonuerunt. Præstolabantur huius Legati aduentum prætoriani Turcarum milites, *Ianizari* dicti, cum armis, qui eum *Alepum vsq; Syriæ* deducerent.

Duodecimo huius mensis die numerosum præsidium & longum viatorum agmen ab *Alepo & Baiazethi* oppido venit, vltra trecentos Camelos secum trahens, qui omnes sericum & vestes Damascenas aliasq; merces preciosas dorso ferebant. Nec enim tutum est, iter per Syriam facientibus solis ingredi, sed *Ianizaros* secum habeat necesse est, quicunq; suæ incolumitatis studiosus est.

Decimoquarto Martij duæ Turcicæ naues portum ingressæ sunt Turcas Græcosq; vehentes, qui ab *oppido Baiazethi* venerant.

Decimo quinto die Princeps quidem Turca è portu soluit, *Cyprum Insulam* petiturus, naui suæ indiderat nomen *Malo punico.*

Decimo sexto, Magna illa Triremis Veneta, *Sancti Marci* nomen gerēs, vt & tres naues Hollandicæ *Alexandria* soluentes *Cyprum Insulam* petierunt, etsi venti minimè secundi spirarent.

Vigesimo primo Martij mensis die circa Mesonyction ingens tempestas cum procellis nos obruit, vt nauis tribus anchoris proiectis firmata vix constiterit; contigit & Myoparonem ab *Rhodo Insula* proficiscentem in loco vadoso mergi, quo naufragio sexdecim homines, partim Græci partim Turcæ perierunt.

Vigesimo tertio die Bassa quidam Turcicus è purpuratorum numero *Constantinopoli Alexandriam* venit, illic cum imperio futurus. Cui honoris ergo omnes naues, quæ in statione erant, multis machinis displosis cum ingenti fragore, vt moris est, aduentum felicem gratulati sunt.

Stoliditas noxia.

Sacro Paschatis die Præfectus nauis nostræ siue Capitaneus, adhibitis in conuiuium mercatoribus, qui quatuor illis nauibus onerarijs nos hactenus comitati fuerant, valedixit eis; vbi bibitū est largius, & inter potandum *Mauritij principis salus*, ad Cyathorum numerum subinde repetita: boantibus interim horrendum in modum machinis igniuomis. Cumq; semel adhuc tonere vellent, machina vi ignis percalefacta crepuit, adeo vt in multas partes dissiliret hinc inde volitantibus fragmentis, vnde viginti quatuor partim milites partim nautæ vulnerati, tres autem ita ambusti sunt, vt instar Æthiopum toto corpore nigrescerent. Puer Capitanei tunc ministrabat mensæ, huic fragmentum æris crus abstulit, fœdo facto vulnere.

Decimo quarto die Aprilis *Alexandria* discessimus, & nobiscum duæ naues Hollandicæ, cumq; aliquantum profecti essemus, tempestas procellis mixta nos inuasit, quæ citra noxam grauiorem deferbuit.

Duodeuigesimo circa vesperam duas naues *Rhodias*, & duas *Gallicanas Massilienses* in itinere obuias habuimus.

Vigesi-

Vigesimo huius mensis die alia nauis Batauica gubernatoris inscitia nostræ naui tam grauiter illisa est, vt prora illius cum parte carinæ fœdè laceraretur, adeo vt parum à certissimo naufragio abesset.

Primo & vigesimo Equites *Melitenses* triremem turcicam nacti, inuaserunt & expugnauerunt, nactiq; sunt ingentem prædam, quæ vltra centum millia ducatorum æstimata fuit. Nos ab illa pugna nauali tam propè aberamus, vt boatus tormentorum aures nostras ferirent, etsi ab ictibus immunes essemus: nauigabamus autem haud procul *Cypro Insula*.

Postero die Græcos omnes, quos in illo nauigio nacti fuerant, in terram exposuerunt, Turcis secum *Maltam* abductis.

Vigesimo secundo Martij paulo post meridiem portum Salinensem plenis velis intrauimus, inuenimusque ibi ingentem illam nauem *Venetam*, *Gallionem S. Marci*, & aliam *Ægyptiacam*, quæ nobis in *Mari Iberico* multum damni intulerat, vti superius commemorauimus.

Tertio die Maij mensis magna illa nauis Veneta, *Sanctus* inquam *Marcus* ab portu Salinensi soluit, desertaq; *Cypro Venetias* petijt. Æstimatum fuit illius nauis precium viginti quinq; auri tonnis (vt cum vulgo loquamur) vehebatque sexcentos homines, sexaginta grandes machinas ære fusas optimo, eratque longe omnium instructissima. Sed hæc tanta moles, montis opus, tanti precij, incuria eorum qui *Tabacum* biberant (vel fumum potius hauserant) flammam corripuit, estq; in ipsis aquis marinis concremata penitus. Quinto die Maij intrauerunt *Portum Salinensem* quinq; naues Turcicæ, quæ ab *Alexandria* venerant, omne genus preciosis mercibus onustæ. Has naues bellicæ Melitensium diu fuerant persecutæ, sed venti secundi beneficio factum est, ne eas assequerentur.

Octauo die à *portu Salinensi* soluimus, & vela versus *Limasolam* fecimus. Postero die nauem quandam assecuti sumus, nauigantibusq; in ea magnum terrorem incussimus. Cum autem ex classe *Rhodia* esset, missos eos fecimus optantes, vt à Melitensibus securitatis ergo deduceretur.

Eo qui sequebatur die, appetente iam vespera *Limasolam* appulimus, vbi tantisper nobis expectandum fuit, donec socij nostri sua expedirent negocia. Eodem quoq; venit paulo post triremis Turcica, cuius trierarcha Capitaneo nostro quatuor dolia ficubus plena dono dedit, orauitq;, vti se cum triremi sua, (quoniam nauis nostra contra piratas satis erat instructa,) *Rhodum* deduceret. quod ipsi negatum fuit, legibus ita exigentibus, quas Illustres Ordines nobis patriâ proficiscentibus dixerant.

Vndecimo & duodecimo Maij die multitudo magna Turcarum nauim nostram, permittentibus nobis, ingressa fuit, visisque machinis nostris è metallo puro & solido fusis obstupuerunt, nec in minorem admirationem eos rapuit structura nauis nostræ atq; firmitas: nec enim ante eum diem nauem Hollandicam viderant vllam.

Tertiodecimo, comitantibus nos sex alijs nauibus Hollandicis *Limasola* deserta, vela ventis dedimus, cursum nostrum ad *Maltam Insulam* dirigentes.

Decimo quinto apparuerunt nobis præalti illi montes, quos *Harmoias* hodie vocant, qui perpetuis cooperiuntur niuibus, distantq; à *Rhodiorum Insula* milliaribus quasi triginta.

Vigesimo primo rursus *Cretæ* appropinquauimus, vbi parum abfuit quin duabus nauibus Turcicis potiremur: fuissemusq; illas planissimè assecuturi, nisi superueniens nox tenebras nobis offudisset.

Vigeſimo ſeptimo die deſeruimus *Cretæ* littora, proris veliſq; in Occidentem verſis.

Iunius Menſis. Quarto Iunij die, oriente Sole *Malta* nobis Inſula apparuit. Circa meridiem ſex naues prægrandes militariter inſtructas, & quinque triremes vid務mus haud procul ab Inſula; nos illos Turcas aut Hiſpanos credidimus, & ipſi nos pro non dubijs habuere hoſtibus. Armis igitur celeriter expeditis, nihil iam animo aliud quàm prælium nauale agitantes, eas petiuimus: nec illi ſecius in nos magno animo iuerunt. Sed fuit hic terror Panicus: Statim enim alteri alteros agnouerunt: Præerat autem illis nauibus *Guaſto Enchuſinus, Capitaneus*, cuius ſupra facta eſt mentio. Porro hæ naues militares aduentum noſtrum præſtolatæ fuerant, vt nobis ſecuritatem aduerſus Turcas & Piratas præſtarent. nec erat hęc ſollicitudo de nihilo. quinq; enim è nauibus noſtris magnis Theſauris & mercibus præſtantiſſimis erat plenæ, quarum precium triginta quinq; auri tonnis (vt vocant) æſtimabatur. Cum igitur vtrimq; pro hoſtibus amicos & ciues offendiſſemus, pleni lætitia & gaudio machinarum ænearum mugitu nos ſalutauimus, vnde tantus audiri fragor, quantus vix confligentium eſſe ſolet. Erat nobis cordi, *Maltam Inſulam* denuo petere, ad repetendam nauem captiuam Turcicam, quam piratis extorſeramus, & in huius Inſulæ portu reliqueramus. Cum autem bellum gliſceret inter Batauos & Hiſpanos non auſi ſumus appellere.

Relicta igitur *Malta* quinto die Iunij *Siciliam* petijmus, vbi de nocte vidimus flammas *Aethnæ montis* (quem Itali *Mont-gibello* nominant) horrendum in modum ardentes. Poſtero die iuxta *Drepanum* nauigauimus.

Duodecima dies huius menſis *Sardiniam Inſulam* nobis oſtendit.

Vigeſimo quinto die Iunij quinq; trimes Hiſpanicæ ſe nobis oſtendere, quas omnino inuadere erat animus. Sed Commendator interceſſit.

Sequenti die vnam & viginti peregrinas naues conſpicati ſumus quas intrepidè petere inſtitimus. Propiores autem facti animaduertimus claſſem Anglicam eſſe, vtrinq; igitur multi tormentorum boatus auditi ſunt, quibus nos inuicem amicè ſalutauimus. Summus huius Claſſis Britannicæ Imperator omnes noſtrorum militum Præfectos & centuriones ad ſe vocauit. qui *Angli magna clade ad Algeriam affecti.* poſtquam comparuerunt, viderunt, quam malè Angli ad Argerium accepti fuerant; naues quippe eorum variè laceratæ, cladem aliquam loquebantur, & quidem non leuem. Nam ad ſexcentos milites è ſuis amiſerant: ipſi contra ſex piratarum naues militares combuſſerant. Sed iactura ſiue damnum ab Anglorum parte multò erat grauius, nec ſex nauigijs reparandum.

Vigeſimo ſeptimo die alia claſſis ſe oculis noſtris obtulit, quam incitato curſu petijmus; Angli omiſſis nobis *Granatæ regnum* petiere.

Quæ ſequebatur dies, errorem noſtrũ detexit. Claſſis enim illa, quam pridie videramus, non erat hoſtilis nec piratica, ſed ex meris conſtabat nauibus onerarijs, quæ mercatorum Hollandicorum erant: eæ ſe omnes nobis adiunxerunt, vna nobiſcum in patriam nauigaturæ.

Iulius Menſis. Secundus Iulij menſis dies nos *Malagam in Regno Granatenſi perduxit.* Eſt id oppidum duobus Caſtris atq; propugnaculis apprimè munitum, vnde tormentis in nos iaculati ſunt. Vt igitur vitaremus periculum, recepimus nos ad Molonis promontorium, quod vno milliari à Malaga diſtat.

Poſtero die multi piſcatores Hiſpani ſcaphis ſuis ad naues noſtras acceſſerunt, qui nugis & mendaciis nobis perſuadere conabantur, vt deſertis nauibus in terram egrederemur. nos, quibus *Iberica fides* nota erat, nihil horum credidimus, quanquam eos interim nullo pacto læſerimus,

Eodem

Eodem die circa meridiem tres naues longæ siue triremes *Magni Ducis Hetruriæ* Malagæ portum ingressi sunt, anchorasq; haud procul nostra classe firmauerunt. Nos in amicitiæ signum eas exploso tormento salutauimus. Anglicana Classis in portu ad *Malagam* aliquandiu substitit, vbi varijs donis & munusculis ab Hispanis Britanni honorati sunt, nos verò ne præsente quidem pecunia quicquam rerum necessariam adipisci potuimus, qua re factum est, vt vale dicentes inuidæ terræ, vela ventis impleuerimus, rectoque cursu *Fretum Herculeum* petiuerimus.

Cum quintus dies illuxisset, tota nostra classis, viginti quatuor nauibus constans, sex militaribus, Illustr. Ordinum sumtu instructis, & octodecim mercatorijs, quibus ingentes diuitiæ constipatæ vehebãtur, ad portum iuxta oppidum *Gibraltar* in ipsis faucibus *Freti Gaditani* appulimus, fuitq; necessario ibi diutiusculè hærendum, donec clementior ventus adspiraret. Estq; hoc illud *Fretum*, in quo notabile illud prælium nauale inter duas instructissimas classes, Hispanicam & Hollandicam anno à nato bono publico millesimo sexcentesimo nono commissum est: Batauis Imperante *Iacobo Hemskerkio*, Hispanis autem *Luca Vassardo*, estq; cum interitu vtriusque Ducis acerrimè pugnatum, sex Hispanorum militum millibus cæsis siue submersis. Octo longæ naues Hispanicæ inusitatæ magnitudinis, partim quinqueremes, partim septiremes ab Neptuno absorptæ sunt.

Sextus Iulij mensis dies duas *Barquas* Hispanicas bono auspicio nobis obtulit, quæ ad *Gades* properabant, quas cum occupauissemus, captiui fassi sunt, se à *Gubernatore Granatensi* missos vt summa celeritate *Gades* contenderent, classemq; Hispanicam, quæ ibi erat, in statione de Batauarum nauium præsentia edocerent, cauerent sibi, atq; quæ ad pugnam necessaria sunt sollicitè expedirent. Cum autem classis nostra sub ipso Castello oppidi *Gibraltar* in anchoris staret, vnde globis ferreis nonnullæ ex nostris nauibus peti poterant: ne duplex nobis oriretur bellum, hinc cum Castello præsidiariisq;, inde cum classe Ibera; & verò ne in hoc Freto *Herculeo* quidem *Hercules contra duos*: Soluimus inde, dum incolumibus discedere licebat, & ex angustijs illis emergentes naues nostras retro montem aliquem subduximus, vbi nec ex arce neque ex oppido quicquam à machinis nobis erat pertimescendum periculi.

Septimo Iulij die *Batauus* quidam *Hispanizatus*, qui in oppido *Gibraltar* habitabat, opificio molitor, comitatus duobus Hispanis ad Nauarchum nostrum venit. Hi conabantur nos mendaciis circumuenire, vti superius piscatores *Granatenses*; dicebant enim, inducias inter Regem suum & Ordines Belgij in quadrimestre tempus prorogatas esse, integrum igitur nobis esse, citra vllius periculi metum in terram egredi, ibiq; mercari pro nostro lubitu, quidquid ad vsus nostros esset necessarium. Quidam igitur ex nostris proditorijs illius Hollandi verbis prope fidem adhibuissent. Sed Hispanus quidam (quod iure mireris) candidior & *melior Batauo* in nos, monuit credulos istos, ne fiderent his verbis. Simulac enim oppidum ingrederentur, capiendos. Nec verum esse quod de procusis induciis mentiti fuerant plani illi, quinimo ad atrox bellum omnia spectare, inque eum finem vndiq; cogi militem, & iam magnum numerum confluxisse. Mutato igitur consilio arma expediuimus, excubiasq; diligentissimè egimus, vt si forte vis hostilis irrueret, ad excipiendam eam ac repellendam parati essemus.

Batauus Hispanizatus.

Decimo huius mensis die seruatis egregiè ordinibus vela fecimus, diuisi in tres velut acies siue cohortes; quarum singulæ binas naues militares &

ſenas mercatorias continebant,ita vt vnaquæq; acies diuerſi coloris vexillis vteretur,quod ſanè ſpectaculum viſu erat iucundiſſimum.

Hoc ordine procedentes inter Hiſpaniæ & Mauritaniæ littora nauigauimus vſi vento ſatis proſpero. Ab longo ſpacio oſtenderunt ſe nobis Inſulæ,quæ *Flandricæ ſiue Azores* dicuntur,quarum caput *Angra*.

Ibi nauis quædam nobis oblata eſt, quæ ex India Occidentali rediens Hiſpaniam petebat: ſed Commendator *Guaſto* & propræfectus claſſis ſuis nauibus illam aſſecuti ceperunt. In captiuorum turba quatuor erant *Ieſuitæ*. hos Dux noſter in naui ſua ſecum retinuit, deque ſuis militibus totidem in captiuam nauem miſit. Paulo poſt tamen, mutato conſilio, omnes dimiſit,libertatiq; reſtituit,reddita inſuper naue, vt ire poſſent quo vellent. quodq; milites noſtros peſſimè habebat, iuſſi ſunt ijs omnia reſtituere, quæ velut hoſtibus iure ademerant. Ægre ferebant hoc omnes,non ignari,ſi Hiſpani illi noſtros ita in poteſtatē ſuā redegiſſent,pari clementia & benignitate in eos vſuros haudquaquam fuiſſe. ſed muſſabant & ringebantur fruſtra.

Liberalitas Bataui ducis in Hiſpanos.

Auguſtus Menſis.

Auguſti menſis die tertio decem naues,inter quas & illa qua ego vehebar,facto diuortio ab reliqua claſſe ſeceſſerunt: cæteræ, quæ adhuc erant quindecim iunctim nauigare perrexerunt: tardiores enim erant, nec tam celeriter vela facere norant vti nos.

Octauo illius menſis,cum haud procul Terrâ Angliâ nauigaremus,dimiſſo perpendiculo profunditatem menſi ſumus maris, deprehendimuſq; orgyias centum ſexaginta, vt nihil periculi eſſet à vadoſis & breuibus. eleuatio Poli erat graduum quadraginta octo cum dimidio verſus Arctum.

Nono Auguſti vt & ſequente die,cum aquæ ſubinde minuerētur, tandem ſexaginta orgyias in altitudine deprehendimus. Circa meridiem,cum Sol clariſſimè luceret,extremæ partes Angliæ ſe nobis oſtendere. Vnde læti quinq; omninò nauibus, *Portum Falmoſum Angliæ* intrauimus. Cum autem venti parum eſſent ex voto, expectauimus ibi proſperiores. Tandem non ſine ſingulari Dei gratia feliciter in Hollandiam vſque peruenimus, re bene geſta,ſalui & incolumes, vbi præfecti rei Marinæ nobis non ſolum quæ debebant egregiè ſoluerunt, ſed etiam donarijs auxerunt.

FINIS Nauigationis Quartæ.

SAMVELIS

SAMUELIS BRUNONIS CIVIS ET CHIRURGI BASILEENSIS EXPERIENTISSIMI NAuigatio quinta, quam animo in Asiam proficiſcendi ſuſcepit, ſed in itinere naufragium perpeſſus, cum in Luſitaniæ littus vix euaſiſſet, ibi ſubſiſtere, & poſt in Germaniam redire coactus eſt.

Quam ob cauſam hæc Nauigatio in poſtremum hunc locum ab ipſo authore reiecta eſt, licet, ſi annorum ſeriem & rationem ſpectes, non quinta, ſed tertia fuerit.

ANNO à nata ſalute generis humani milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, cum à ſecundo itinere meo Africano Amſterodamum in Batauos rediiſſem, eadem vſus naui, qua ex Hollandia profectus fueram, quæ etiam in conflictu illo nauali iuxta promontorium Africæ, quod *Capo Lopez Conſalues* vocant, haud procul ſancti *Thomæ Inſula*, (vti in ſecunda nauigatione noſtra commemorauimus) grauiter læſa ac quaſſata fuerat: reuerſum igitur me ex Guinea Africæ nonnulli nauarchi, quibus apprimè notus eram, interq; eos præcipuè Henricus Wilhelmi conuenit, rogauitque, nunquid cum illo vellem in Luſitaniam *Vlyſsippenem* verſus, poſtea per *Fretum Gaditanum* & mediterraneum mare *in Italiam, Græciam, Thraciam, Conſtantinopolim* nauigare, aliaque ſimul loca inuiſere, vbi merces ſuas commodè diſtrahere & propitio Mercurio lætoq; lucris vti poſſet.

Anno 1616.

Erat autem ille *Henricus* Wilhelmi *ciuis Roterodamenſis*, naui vero ſuæ nomen impoſuerat *Malo poma aurata ferenti*. Ego qui deſiderio flagrabam exteras regiones luſtrandi, præſertim orientalia regna, non multum temporis conſultando traxi, ſed operam ei meam addixi. Pacti igitur vna, decimo ſexto Iunij anni ſupra commemorati Amſterodamo relicta *Texeliam Inſulam* nauigauimus, expectatiſq; ventis ſecundis cum claſſe Batauica inde ſoluimus & altum petijmus. Sed ventus tam valide nobis incubuit, vt nolentes etiam verſus Angliæ regnum ad Inſulam Vectim raperet: vbi nobis per integrum decendium commorandum fuit. Eodem tempore exigua nauis piratica vi tempeſtatis in portum illius Inſulæ delata fuit. quod cum ſenſiſſent duo ex noſtris Capitaneis, *Ellardus Thomæ Amſterodamenſis, & Ianus Tiſſonius Hornanus*, nauiculam illam inuaſerunt expugnaturi ſi reſiſteretur. ſed piratæ animaduerſo hoc deſeruerunt nauigium, & in terram euaſerunt, fuga hinc inde dilapſi. Capitanei autem noſtrates, cum nauigium diligenter perſcrutati fuiſſent, quia tam exiguum erat, & non niſi quatuor tormentis mediocris magnitudinis inſtructum, inutile ſibi iudicantes, Gubernatori illius Inſulæ dono obtulerunt.

Vectis Inſula Britannica.

Nauis ea, qua ego vehebar, capax erat Lastarum (ita vocant) bis centum & quadraginta, eratq; ei satis prospectũ de machinis grandioribus, quas omnino triginta sex habebat, sed viros paucos, nimirum sexaginta omnino. Nec hoc adeo mirandum est: cum mercatores multoties naues habeant satis firmas, & tormentis bellicis affatim instructas, quibus tamen non multos imponunt milites, quia auarum & tenax hoc genus sumptibus parcit: vnde sæpenumero fit, vt naues hæ mercatoriæ à piratis vel expugnentur, vel in extrema pericula deducantur. Nec tamen est dissimulandum, mercatores quandoq; selectioribus militibus & fortioribus suas naues instruere, quam Capitaneos bellicarum nauium. Malunt enim veteranis & exercitatioribus lautius stipendium soluere, quam tyronibus & rudibus militiæ marinæ minus. Sed qui conscribuntur magno numero in naues militares, confusi ferè sunt, nec ratio habetur aptitudinis sed numeri. Cuius rei ego oculatus sum testis, quippe qui viderim, quandoq; sexaginta viros in naui mercatoria pugnando in hostem plus præstitisse, quam centum aut plures tyrones in naui militariter instructa.

Auaritia sibipsi noxia.

Cum autem venti propitij nobis adspirarent, deseruimus littus Anglicanum, ipsoq; die qui antiquitus *Iohanni Baptistæ* dicatus est, altum petiimus; nec quicquã aduersi passi sumus, donec Lusitaniæ regnum in conspectu habuimus: fuitq; tam expedita nostra nauigatio, vt non totis sex diebus trecenta milliaria confecerimus. At verò cum iam terram Lusitanicam propè intueremur, ventus plane in contrarium mutatus est, tempestas item ac procellæ creuerunt non per gradus, sed per parasangas, quæ res tam nauarchum quam gubernatorem nauis nostræ non parum sollicitum habuit, metuentes extrema pericula. Adnixi igitur sunt vterq;, vt ab littore quantum possent, amolirentur, ne vi fluctuum & ventorum continenti illideretur. Sed hic conatus superabat vires eorum. Venti enim magis magisq; furebant, contemta omni nautarum arte & diligentia, vt tandem coacti fuerint duas anchoras ab puppi proiicere firmãdæ nauis ergo, ne littori illideretur, præsertim cum nox & tenebræ ingruerent. Aer erat crassus & caliginosus, & mare fluctibus coopertum, vnde præ strepitu vndarum & ventorũ sibilis alter alterius verba nec audire, nec imperiũ accipere aut iussa capessere poterat. Fluctus cooperiebant quandoq; ipsum nauigiũ, quod iam tantũ sali hauserat, vt ad mesonyction vsq; aqua fuerit exhaurienda. Ex Anchoris altera fracta erat, altera laxata, cum sabuloso fundo dentem siue vncum figere satis firmiter non posset. Ibi gubernator grandius plumbum perpẽdiculare fune in æquor demisit, cuius concauæ parti seuo bouillo plenæ, terræ nonnihil adhærere solet, vnde iudicium faciunt nautæ peritiores, in qua versentur regione. Inuenerunt igitur aquam adhuc satis altam, nempe orgyiarum triginta. Nauclerus igitur iussit adhuc vnam Anchoram demittere, vt si fieri posset, nos ab internecione præseruaret: nihil enim remittebant à feritate sua venti, nihil tempestas. Anchora autem quam dimiseramus, frustra erat, cum impressa arenosæ terræ herere non posset: insuper rudens, cui alligata erat alia anchora rumpebatur, adeò vt in tota naui omnia terrore & trepidatione plena essent. Tandem nauarchus & gubernator sacram, id est vltimã anchoram demittere statuerunt, sed omnia frustra erant, inualescentibus enim in singula propè momenta ventis, nauis nostra summa vi terræ impacta est. Vnde tantus timor omnes inuasit, quantus esse potest eorum, qui mortẽ non dubiam ante oculos vident. Cohortati igitur sunt cæteros ij qui cordatiores erãt, vt Deo se cõmitterent, à quo solo esset expectanda salus in reb. deploratis. Ipse gubernator apertè professus est, toto vitæ suæ tempore pertinaciorẽ & horribilio-

Celer & expedita nauigatio.

ribiliorem tempestatẽ se non expertum: consuluit igitur nobis, vt qui vellet vitæ suæ nando aut alia ratione consulere, sibi tempestiuè prospiceret, se qui iam vir esset senio prouectiori, mansurũ ad clauum suũ siue gubernaculum.

Huius tam grandis infortunij nuncius ominosus fuit murium domesticorũ, maioris generis, insolitus stridor & veluti gemitus (pèrmulti enim erãt in naui nostra) qui & post longas querelas duabus circiter horis antequam nauis terræ impingeretur, ex illa fugerant. Quo omine conspecto senex noster gubernator claris verbis pronunciauit, scire se certo certius nauem perituram, nec à naufragio seruari posse. Maturè igitur imperauit, vt actuaria nauicula & scapha in mare demitteretur, vt homines earum beneficio seruari possent, ipse quidem primo renuebat actuariam ingredi, tandem vero persuasus à nauarcho cæteros secutus est. Sic igitur nos omnes vehebamur

Omen futuri naufragii.



parua actuaria terram summa ope annixi petentes. Sed non diu hæc nobis spes constitit. Nam ingens fluctus decumanus scapham ita obruit, vt propemodum impleuerit aqua. quidam terrore perculsi, è nauigio in mare insilierunt, scilicet vt natando vitam seruarent, vnde scapha aliqua parte oneris leuata est. Vigiles nocturni in Pharo siue turri littorali ingentem ignem accenderant, nos autem vltra duas horas ita errabundi in aquis ferebamur donec tandem terræ appropinquaremus.

Cum

Cum autem fluctus littori illisi, vt fert eorum natura; resilirent, ibi celeriter deserto nauigio quiuis ad terram properauit, antequam redirent decumani. Mihi vero impossibile fuisset terra potiri, nisi DEVS euidenti auxilio subuenisset. Cum enim me ingens fluctus correptum in terram proiecisset, ego verò me iam erigerem & in pedes consisterem, idem ille fluctus à terra ad mare refluens me denuo corripuit; inque mare retraxit. Vbi cum iam me ipsum pro perdito deplorarem, ingens mali nostræ fragmentum ab aquis ad me delatum est, quod auidè arripui, eòque vsus ad littus euasi, cæterum tanta tristitia & trepidatione animum meum obruente, vt narranti nemo credere possit, nisi qui similia expertus est.

Mirus casus Authoris.

Diuinitus igitur his tantis periculis ereptus, inque Lusitanico solo tam eleganti & calido collocatus, in collem quendam conscendi, vbi stabat turris ex ijs, quæ ignes noctu sustinent, vbi corpus lassum & viribus exhaustum herbido solo applicui, ibiq; decubui vsq; dum illucesceret: ignorabam autem penitus, in qua regione, aut apud quos homines versarer. Sole igitur iam lucente quidam milites ex vicinæ arcis præsidio, cumque ijs nonnullæ mulieres versus mare viam capessebant, an aliquid in mari rei nouæ conspicari possent. Erat autem hic locus admodum editus, vnde longe lateq; prospectus in mare patebat: quos cum viderem ad me accedentes propius, quia solus eram, (nec enim quenquam è nostris Batauis cernebam) formidabam eorum præsentiam, ne forte aliquid mali mihi ab illis perpetiendum foret. Conabar itaq; corpus humo tollere, & aliquantum secedere, ne tam opportunus essem iniurijs. Sed defectæ vires & nutantes terrore ac formidine poplites incessum mihi negabant. Decubui igitur rursum, & expectaui quid de me futurum esset. Cum igitur milites illi cum mulierib. ad me venissent, omnium primò ex me sciscitati sunt, nunquid *Christianus* essem? (nam non rarò contingit, vt Turcæ quoq; in hoc littus vi ventorum compellantur,) ad quæ verba ego debili voce; Hispanica lingua vsus respondi, esse me. Apprehenderam enim idioma illud in Africæ regnis, *Angola & Guinea*. Ipsi verò pergebant quærere, quis casus aut, quæ fortuna me huc detulisset? Quidve perpessus essem, & cur ita solus? Aderat his etiam mulier quædam Hispanica, *Moladina* nomine, coloris subfusci aut flauescentis, patre procreata Lusitano; matre autem Numidicâ, atri coloris. Igitur illa *Moladina* & ipsa percunctata est me, nunquid *Christianus* essem? Cui cum itidem affirmassem, esse verò, perrexit rogare, vti domum ipsius venirem, oblato familiariter hospitio. Mihi non ingrata erat hæc benigna inuitatio, sequutus igitur sum vt potui, nam admodum debilitatus eram, nauseante ventriculo ob aquarum marinarum copiam, quam inuitus hauseram. Multis me beneficijs affecit mulier illa domi suæ, nec alio ferè affectu complexa est, quàm si filius essem. Plusculis igitur diebus cum illa commoratus sum donec Dominus siue (vt vocant) Patronus nauis nostræ me peruestigaret; & sciscitaretur ex me, haberem ne aliquid nummorum? Cui respondi, me de argento ne cogitare quidem, agere autem ingentes Deo grates, qui me viuum seruasset, esse me affatim contentum, quod destitutus ære, vita fruerer. & vicissim illum percunctabar, vectores ne omnes, qui vna nauigauerant, salui euasissent? Respondit, sedecim adhuc viros se desiderare, quos diu perquisitos inuenire non posset: narrabat præterea, quosdam iam visos Barqua Hispanica Lyssabonem abiisse: tandem quærebat ex me, vellem ne secum eodem proficisci? Negaui mihi superesse vires ad conficiendum aliud iter, cum superioris molestias nondum concoxissem; debilitato mirum in modum toto corpore. Ita factum

Author subleuatur à muliere Hispanica.

ctum eſt, vt tribus Septimanis integris hoſpitio *Moladinæ* benefactricis meæ vterer, donec recuperata valetudine priſtinis viribus meis reſtituerer.

Altero poſt naufragium die cœlum ſerenum erat & omnia tranquilla, piſcatores Luſitanici ſcaphis & lintribus ad naufragam ratem acceſſere, inde petituri, quicquid adipiſci poſſent: qui inter reliquas res, quas nacti fuerant, etiam arcam meam, rebus ad artē meam Chirurchicam pertinentibus plenam piſcati fuerant. Hanc ſe reſtituturos mihi negabant, niſi duos nummos Regales grandiores illis è veſtigio ſoluerem. Sed hæc poſtulatio ſuperabat facultates meas: carendum igitur illa in perpetuum fuiſſet, niſi liberalitas mercatorum mihi eam redemtam velut de nouo donauiſſet.

Igitur optima mulierum *Moladina*, cum vires bona ex parte recollegiſſem, deduxit me nauigio *Lyſſabonam* vſq; in ſacellum Germanorum. Ibi *Germani, Galli, itali & Angli* vno & eodem vtuntur ſacerdote, qui collegam habet, quem Capellanum vocant. Huius partes ſunt homines peregrinos naufragos excipere, & omni beneficentiæ genere proſequi. Igitur Sacerdos ille, *Petrus* nomine, *natione Belga* me comiter acceptum deduci curauit ad Chirurgum quendam in vrbe habitantem, cui Viennæ in Auſtria nato nomen erat *Iohanni Ammano*, vti mei porro curam gereret, pollicitus, ſe ex redditibus Sacelli ei ſatisfacturum: nec quicquam obſtabat liberalitati huius ſacerdotis, quod interroganti & patriam & nationem meam conſtanter faſſus eram, meq; Baſileenſem Heluetium dixeram.

Germanus Chirurgus Lyſſabonæ habitans.

Huic Chirurgo pari ratione Vlyſſipponem habitare contigit, annitentibus nempe mercatoribus, qui eum in Luſitaniam ſecum deduxerant: alias rara auis eſt, *Germanum Chirurgum* in illis oris oppidiſq; inuenire. Vir iſte multa in me contulit beneficia, mihiq; quatuor integris menſib. hoſpitium præbuit, quo nomine me ipſi per omnem vitam obligatum fore fateor.

Cæterum non poſſum hoc loco præterire, quin narrem, quod non parum ad rem præſentem facere videtur. Moris eſt per omnē Luſitaniam, quoties nauis aliqua vi tempeſtatis & ventorum illi littori appellitur, Dominus nauigij ſtatim deſinit eſſe poſſeſſor illius, nec ius faſq; vltra obtinet illius dominium vllo pacto ſibi vendicare, niſi ſingulari fauore magiſtratus impetret, vt commodo precio ſua ſibi nauis præſenti pecunia denuò vendatur. Iam nauis illa qua nos vecti fueramus, quæque nos prope omnes perdiderat, triginta millibus florenorum Hollandicorum emta fuerat, in cuius æris computum non veniebat, quicquid pecuniæ in grandiores machinas, earumque inſtrumenta expenſum fuerat.

Ius Luſitanicū iniuſtum.

Eodem tempore in portu ad Lyſſabonam quatuor naues Hollandicæ in anchoris ſtabant: duæ *Roterodamenſes, vna Enchuſina, & itidem vna Ackerslotenſis.* Erat autem in his nauibus ingens argenti ſignati copia: ſed non licet quicquam auri aut argenti Hiſpaniæ regnis exportare, ſolis ijs mercatotibus exceptis, qui frumentum aut alia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria Hiſpaniæ inuexerunt. hi enim peculiari gaudent priuilegio. Cæteris omnibus mercatoribus vna eademque lex dicta eſt, vt quacunque tandem ratione merces mercibus commutent, pecunias autem nequaquam exportent: tranſgreſſoribus atrox conſtituta eſt pœna, vt qui ſecus faxit, veneat ipſe, adque remum adhibeatur, nauis verò cum omnibus mercimonijs fiſco regio addicatur. Proditori, qui ad magiſtratum præuaricantes detulerit, tertia pars precij cedat. Igitur quatuor illæ naues, vti dictum eſt, multum auri argentique vehebant, è quibus tres maturè ſibi conſulentes, è portu abierunt, aſportatis ſecum plurimis pecunijs: quarta autem Roterodamenſis, in qua

Hiſpania pecuniæ tenax.

viginti quatuor millia regalium nummorum grandium erant, nec non gemmæ complures Orientales, quarum precium centum millibus ducatorum æstimabatur, adhuc in anchoris subsistebat. Huius nauis dominus *Cornelius Hoppo*, vir magnæ apud suos authoritatis ob probitatem & candorem, scriba vtebatur, iuuene procacis & malitiosi ingenij. Petebat hic scriba quodam die ab hero suo quingentos nummos regales: quia autem nolebat aperire, quo pacto illa pecunia vsurus esset, non impetrauit. Plenus igitur irarum ob repulsam abijt, herumque suum ad magistratum detulit, quod contra leges Lusitanorum tam grandem thesaurum regno exportare vellet. Cum dicto aderant quatuor triremes Hispanicæ, milite armato plenæ, qui nauim diligentissimè scrutati omnes abstulerunt pecunias, cæterisq; mercibus miseram nauem penitus spoliauerunt. Nec proditor de hac perfidia diu lætatus est, cum ei nequaquam tertia pars prædæ repræsentata fuerit, vti sperauerat, locumque etiam in suo scelere fecit prouerbio, PRODITIONEM *amo, Proditorem non laudo.* Illa ipsa nauis postmodum mercatoribus quibusdam Germanis ab Gubernatore vrbis vendita est, quæ deinde Nauarchi mei, viri peritissimi & maximè industrij, fidei commissa est.

Scriba perfidus hero exitialis.

Eodem tempore contigit tres prægrandes naues, quas Lusitani *Caraquas* vocant, ex Orientali India Vlyssipponis portum ingredi: sunt autem hæ naues tam vastæ molis & magnitudinis, vt singulæ nongentis Lastis onerentur, vectores autem circiter mille tollant, cum primum ab Lusitania soluunt. His igitur nauibus appellentibus, omnia lætis acclamationibus personuerunt, inque signum publicæ lætitiæ omnes oppidi Campanæ pulsatæ sunt, tonantibus frequenti boatu machinis æneis, quæ vbiq; per vrbem dispositæ erant.

Quarta post hæc die alia tam grandis nauis appulit, quæ circiter bis mille milliaria nauigando confecerat, sed quia per errorem propositum cursum non tenuerat, peregrinis mercibus & lucro destituta portum ingressa est, nec vllus ei ob infelicitatem habitus honos.

Classis argentea ex Occidentali India.

Sexto octobris die in eodem portu Lyssabonensi appulit prædiues illa classis, argentum illud ferens, quod pro regno Lusitaniæ in Occidentali India colligitur. Constabat autem nauibus omnis generis circiter quadraginta, vectorum autem numerus erat ad nouies mille. Omnes hæ naues argentum & exoticas merces magna copia vehebant, præter sex magnas naues Regias, quæ vt cæteris præsidio essent, non oneratæ mercimonijs, sed instructæ erant militariter.

Ingressæ autem sunt hunc Lusitaniæ portum, non quod Nauarchi & Gubernatores ita statuissent, sed necessitate coacti. Viginti enim naues Piraticæ Turcarum, omnes ad bellum expeditæ, tormentis, maioribus & milite instructissimæ, hanc classem inuaserant, quæ nisi furori & potentiæ Piratarum cessisset, & summa celeritate hunc portum subijsset, procul dubio de ea actum fuisset.

Cautione igitur & celeritate hic opus erat. Ingentes enim atque adeò incredibiles thesauri his nauibus vehebantur: abundabantq; pleriq; omnes, qui nauigauerant, adeò argento, vt pro vnius noctis diuersorio regalem nummum grandiorem soluere non dubitauerint. Pocula eorum atque cætera vasa, quæ in quotidianum apud eos vsum veniebant, omnia ex solido argento facta erant.

Cum autem omnium thesaurorum, quæ ex vtraque India exportantur, quinta pars Regio fisco cedat, præter vtensilia, & quæ in supellectile compu-

computantur, qualia sunt vasa omnis generis, disci, patinæ, pocula, coclearia, phialæ, gutturnia cum epistomiis, pelues, & quicquid in hunc censum venit: Hæc enim omnia à decimatione, vel quintatione potius, (vt ita dicamus) immunia sunt, negociatores hunc astum inuenere, vt ea vtensilia crassa admodum & ponderosa apud Indos ruditer sibi fabricari curent, vt Falcidiam siue Trebellianicam hac ratione euitent.

Cum igitur nauarchus meus onerasset nauim mercibus, quas adipisci potuerat, nempe mille quingentis Sacchari cistis, & quinquaginta saccis coriaceis cinnamomo plenis, (Lusitani *Fardos* vocant) interrogauit me, an vellem cum eo Venetias proficisci? Mihi verò nondum commodum erat, adhuc Neptuni fidei me committere. Commoratus igitur sum Lyssabonæ ad Natale vsq; festum Christi.

Interea & alia nauis Hollandica aduenerat, cui *Aureo Falconi* nomen erat. Hæc nauis recens fabricata erat, eoque firmior & pulchrior, sed Chirurgo destituebatur. Dominus eius non diu ibi moratus celeriter mercibus potitus est, quibus nauem oneraret: nempe mille ducentas saccharo plenas cistas, & quinquaginta culeos cinnamomo plenos. Et hic ex me sciscitatus est, an vellem in sua naui Chirurgi officium obire, pollicitus liberale eo nomine stipendium, seque curaturum de suo, vt medicamentorum mihi semper suppeteret copia. Mihi hæc postulatio non admodum cordi erat: quia tamen operam ei addixeram, illectus bonitate stipendij, quod nouem Regales nummos menstruos mihi fuerat pollicitus, copiamque insuper fecerat de meo peculio negociandi, mihiq; priuatim lucrandi, si fortuna faueret, faciendum omnino fuerat quod promiseram. Acceptis igitur duobus stipendiis menstruis, quæ mihi velut arrhabonem futuræ solutionis dederat, id argentum in fœnore collocaui.

Stipendium Chirurgi in nanigatione.

Cæterum adhuc quatuor aliæ naues se nobis adiunxere, sociæ futuræ vtriusque fortunæ, duæ Lusitanicæ, quæ *Angolæ Regnum in Africa* petebant, multisque mercimonijs rebusque præstantissimis onustæ erant, quarum precium sexaginta millibus ducatorum aureorum æstimabatur: & duæ Anglicæ, quæ constituerant in NVMIDIAM nauigare, siue (vt hodie satis Barbarè vocant,) BARBARIAM.

Itaque sexto Ianuarij die anni millesimi sexcentesimi decimiseptimi, cum secundi nobis adspirarent venti, à Lysabonæ portu soluimus.

Annus 1617.

Cuius anni mensisque die nono, cum è nautis quidam summam malum conscendisset, speculaturus, an aliquid peregrinarum nauium cernere posset: subito exclamauit, videre se quinq; prægrandes naues, quæ cursum suum tenerent in confinio *Bæticæ & Lusitaniæ*, haud procul à promontorio quod vocant *Caput Sanctæ Mariæ*. Nos quidem tum eas naues Hispanicas esse existimauimus, sed magno errore, vt post patuit. Illæ igitur quinque naues, conspectis nobis, plenis nos velis rectoque cursu petebant. Archithalassus igitur noster signum conueniendi dedit, tonitruo è machina emisso. quo audito naues nostræ se coniunxere propius. Ibi Dux classis nostræ quæsiuit è singulis, quid eis esset animi, vellentne secum pugnæ aleam subire, si ita res & vsus ferret. Ibi omnes eodem consensu responderunt, pollicitos se esse eandem subituros cum eo fortunam, præstituros reapse quod promiserint. Collaudata eorum promta voluntate Dux noster iussit, vt celeriter expedirentur arma: quod pari alacritate factum est. Interim quinque illæ naues nobis appropinquauerunt, cum Turcicæ classis Archithalassus tormento nos prior petijt.

Piratæ Turcici in mari Lusitanico.

Tum primum nobis ſigna atque vexilla in ſummitate nauium illarum indicium fecerunt, Turcas eſſe qui nos appetierant, quanquam diuerſarum nationum homines nauibus illis veherentur. Proclamauit quiſpiam è naui prætoria eorum; *qui hominum & vnde?* Reſpondit Dux noſter, quæ è re præſenti videbantur. Perrexerunt ipſi interrogare, *quas veheremus merces?* Reſponſum eſt, nos *farre & adorea* oneraſſe carinas. Hæc autem eò dicebamus, quia naues frumentarias à Piratis haud facile appeti noueramus. Cæterum hac fraude parum profecimus.

Naues enim duæ è noſtratibus pulcritudine ſua & recenti fabrica illis deſiderium accenderant. Denuo igitur *Stentor* ille acclamauit nobis, vt citra pugnam nos dederemus, ſe nos abducturos Argeriam, & Patrono precium nauis perſoluturos. Reſpondit Architalaſſus noſter: nauem hanc ſuæ concreditam fidei, non vti eam venderet, ſed vt ad extremum vſq; Spiritum defenderet. quin ſine ſanguine & cæde promercationem illam non futuram. Milites ſe eſſe, non caupones aut fabros.

Igitur Turcarum Dux, videns ſe fruſtra licitari rem minimè venalem, è ſuo nauigio horrendum in modum in nos fulminare cœpit. Erat autem hoc minimum è quinq; illis Piraticis quæ nos inuaſerant, vehebatq; machinas viginti quatuor, milites autem bis centum. Duæ, quæ hanc magnitudine aliquantum ſuperabant, inſtructæ erant Vicenis octonis tormentis æneis, & ducentenis quinquagenis militibus. Duæ autem, quæ maximæ erant, habebant ſingulæ triginta ſex tormenta maiora, & ter centum milites. At nobis in vniuerſum plures non erant viri quam bis centum viginti quinq;, & machinarum ænearum numerus ſanè modicus. Furente igitur vtrinq; Marte acrius, duarum Hiſpanicarum nauium ductores atrocitatem prælij horrentes fugam arripuerunt. quorum exemplo pauidi facti duo Nauarchi Angli idem fecere: quæ deſertio atque perfidia, etſi nobis aliquantum terroris attulit, ingenti tamen noſtro bono facta eſt, vt mox patuit. Nam tres naues Piraticæ fugientes inſecutæ à reliquis duabus ſe ſeiunxere, nec deſtitere illas in alto Oceano perſequi, donec ſol ad occaſum inclinaret.

Prælium Nauale

Tandem circa veſperam hora diei inclinati tertia, piratæ quatuor illis nauibus potiti ſunt; etſi enim diu ſe defendiſſent: conſiſtere tamen in prælio diutius non potuere, pauci contra multos, mercatoriæ naues contra bellicas, negociatores contra piratas exercitatiſſimos.

Cum autem Turcæ ſuperiores facti præda illa potiti fuiſſent, & iam recta ad nos quoque contenderent, non præcipiti fuga aut effuſa, ſed ſenſim robori & furori eorum ceſſimus, vſi ad hoc obſequio venti proſperrimi. E prætoria noſtra naui emiſſus grandis globus ferreus malum anteriorem alicuius Piraticæ nauis perfregerat, quæ ideo coacta eſt ab oppugnandis nobis deſiſtere. Abſq; quo ſi fuiſſet, ſine dubio pirata ille nos pugnando tam diu diſtinuiſſet, donec reuerſi fuiſſent tres illæ naues, quæ iam duas Anglicas & duas Hiſpanicas expugnauerant: quæ quidem res cum præſentiſſima noſtra clade coniuncta fuiſſet. Quod ſi ſciuiſſent, noſtra naui tantos theſauros vehi, quæ vltra *quatercenties mille aureorum ducatorum* conficerent, accedente inſuper magna precioſi coloris copia, quem Couchenillam vocant, & pluſculis ſacculis margaritis ſelectiſſimis plenis: hæc inquam ſi illis innotuiſſent, nullum dubium eſt, quin omiſſis quatuor illis fugitiuis nauibus noſtram vnicè inuaſiſſent, in qua ſola tantum prædæ futurum erat, quantum vix in cæteris nauigijs omnibus.

Grandes theſauri in naui Luſitanica.

Libe-

Liberati igitur tam immani & præsenti periculo, actis Deo gratijs vela ventis denuo permisimus, *Gades* Insulam Hispaniæ vicinam, (quam nautarum vulgus *Cal ζ, siue Cales Males* vocat) cursu petiuimus, ad quam etiam postero die appulimus. Ibi classem Hispanicam offendimus, quæ nostras naues explorauit. Animaduerso autem, quod cum Turcis pugnauissemus, loquentibus non tantum saucijs hominibus, sed & ipsa naui periculi magnitudinem ostendente, Archithalassus Generalis Hispaniæ, *Philibertus Allobrogum Princeps*, nostram vicem misertus, aliquot cados vini præstantissimi nobis dono misit, aurea item mala cum pomis citrijs magno numero, ad reficiendos ægros: liberaliter insuper pollicitus, si nobis in animo esset, piratas illos à quibus læsi essemus, peruestigare atque insequi, se nobis triremes nonnullas milite ac ductoribus cæterisque rebus ad bellum necessariis affatim instructas adiuncturum, quorum ope latrones illos concidere, & vltionem de illis sumere possemus. Sed dux noster honesta excusatione gratias egit: dixitq; se nihil tale in mandatis habere, sed vt iter suum quam primum maturaret, & in patriam properaret: In hoc enim se mercatoribus fidem dedisse, quibus grauiter esset obligatus, nec sibi integrum esse, tanto fauore & gratia principis vti.

Postero die, mutato animo & affectu misit ad nos apparitores suos, qui nobis regis Hispanorum nomine profectione omnino interdicerent, neue clam ipso discedere possemus, ademit nobis omnia vela, eodemq; in loco nos per tres continuas septimanas detinuit.

Dum hic moras præter arbitrium nectimus, aduenerunt duæ illæ naues Anglicanæ, quas à piratis superius diximus expugnatas fuisse. Boni hi Angli narrabant nobis, præterquam quod omnia perdidissent, se admodum malè habitos à Turcis, grauiterque verberatos fuisse; inter cætera conquerebantur admodum de tribus ingenuis ac perelegantibus pueris, quos sibi ab Piratis illis raptos fuisse asserebant.

Classis autem illa Hispanica, quam sub *Gadibus* in anchoris hactenus stetisse supra commemorauimus, tandem soluit, in altumque prouecta est. Sed malo alite. Nam eodem die, ante crepusculum perijt ex ijs prægrandis quædam nauis militariter instructa, vehens quadraginta grandiores machinas, vnde magnitudinem eius coniectura assequi facile possis. Delata enim in scopulos, ad extantem quandam rupem, quæ PORCVS dicebatur, tam vehementer illisa est, vt rumperetur, haud ita longe à portu, quo globus ære cauo emissus pertingere posset.

Nauis Lusitanica naufragio perit.

Eo, qui hanc classis profectionem secutus est, die restituta sunt nobis vela nostra, addita honesta excusatione: consilium illos cepisse inuadendæ Argeriæ, veritosq; fuisse, ne nos interim profecti illorum deliberationes interturbaremus. Sed vanum & mendax genus hæc finxerant. Interim hæc erat vera causa. Intellexerant enim viginti quatuor naues *Germano milite plenas* Oceanum Cantabricum nauigare, sub ductu & auspicijs *Comitis à Nassau*, perque fretum Herculeum & mare mediterraneum Venetias petituros esse. His *Germanis* se in illo *freto Gaditano* opponere statuerant *Hispani*. Sed vt post patuit, irrito conatu. Nauigauerunt enim milites *Nassouici*, & feliciter Venetias, bonis perpetuo ventis vsi, peruenerunt.

Septimo igitur Februarij die anni superius commemorati ab Gadibus, (siue CALES MALES magis placet) solutis nauibus, bona commodaque tempestate nauigare cœpimus. Non procul inde vecti dolium ingens

nostri nautæ adepti sunt, quod plenum erat ferramentis omnis generis, extraxerant nostri homines illud, arbitrati vinum aut oleum inesse, sed vt diximus, decepit eos spes hac vice, ne tamen frustra laborem suum impendissent honorario quatuor regalium nummorum donati sunt.

Post hæc, cum ad Promontorium *Numidiæ*, *Capo Sparto* dictum peruenissemus, contrarijs ventis vexatis sumus: nobis igitur lentè progredientibus obuiam venerunt quædam nauiculæ exploratoriæ, ab oppido Gibraltar, vt specularentur quales naues haberemus. Hispani enim qui illis sunt in præsidio, arbitrabantur, nos omes Batauos esse, nostrasque naues esse militares, & ad bellum inferendum profectas. Tota igitur Classis, quæ illis in statione erat, plenis velis nos petiit, quoque plures essent, Anglicã nauem coëgerant secum excurrere. Nolente autem nauarcho Anglo in Hollandos (vt ipse opinabatur) quicquam inimici moliri, in Prætoriam Hispanorum nauem vinctus deductus, ibique custodiæ mancipatus est: quindecim autem Hispani eius loco naui Anglicæ impositi sunt. Itaque, vti dictum est, circa medium noctis tota illa classis inimico animo in nos inuecta est. Anglicanum autem illud nauigium ad nos non venit, vnde Dominus eius siue nauarchus magna sollicitudine affectus, timuit, ne forte quindecim illi Hispani ab Anglis suis in mare præcipitati perijssent. Mane facto propius ad nos accesserunt, clangentibus tubis, & animos militum ad capessendum Martem incitantibus.

Sed cum tam propinqui facti essent, vt alter alterum noscitare penitius possent, deceptos se suapte sententia animaduertere, statim enim patuit nos non esse Batauos, sed è Lusitania venire. Hoc non obstante, Archithalassus eorum quosdam ad hanc rem idoneos in naues nostras misit, quorum consuetudo est, *nihil afferre, multum auferre*: nec fas est ipsis hoc vsurpatiuo suo iure vtentibus impedimento esse.

Igitur Nauarchus noster, vt Ducis Hispani gratiam exambiret, dono ei obtulit nonnullas pernas Westfalicas & Caseos aliquot Hollandicos, sed Parasiti eius aliquem insuper sacchari modum postulabant, viderant quippe nos multum indurati illius liquoris nauibus nostris vehere. quibus rebus impetratis dimiserunt nos, ipsi in portum regressi.

Postero die fretum ipsum ingressi venimus iuxta proiecturam quandam terræ, quam ipsi *Capo de Pallas* appellant. Eadem nocte duæ naues Piraticæ ad nos adnauigauerunt: nocte autem densis tenebris obscura, abierunt, & nos missos fecerunt. Nos ad aliud promontorium, cui *Caput passeris* nomen est, peruenimus. Distat autem decem milliaribus ab Malta Insula.

Erant in naui summi præfecti nostri Equites aliquot Ordinis Sancti Iohannis, militiæ *Melitensis*. Hos ille discupiebat in littore Maltæ Insulæ, quo illi properabant, exponere. Ventis autem secus videbatur, qui importunis flatibus nos ab Insula arcebant. Erat ergo ei animus, eos secum Syracusas in Siciliam deuehere.

Sed hæc profectio equitibus illis minimè placebat. Dum sic vtrinque deliberando tempus teritur, conspicimus nauem quandam è minorum genere ad littus Insulæ: & iam venti conticescebant parumper visum est igitur Duci nostro, nobiles illos *Melitenses* scaphæ impositos ad Insulam deferre. Sed dum diligentius rem consideramus, videmus tres *Fregatas* (paruum nauigij genus) cum illa naui acriter pugnare, quæ dum tribus illis viriliter resistit, tandem igne correpta, dicto citius nobis adspicientibus conflagrauit.

Pugna naualis ad Maltam Insulam.

Post

Post exiguum tempus tres illæ Fregatæ nobis repente ingruerunt, comitatæ quatuor alijs nauibus: nos aliud agentes non animaduertimus eorum tam improuisam præsentiam. Imperitabat autem septem illis nauibus Anglus quidam, illustri loco natus, *Dominus Warrus* dictus, qui à nobis contendebat, vti nos dederemus. Responsum fuit ei à nostris, nos naues frumento onustas trahere. Quo audito creditoque, missos nos fecit. Frumentum enim vili tum vendebatur per omnem Britanniam precio.

Mendacium tempestiuum & vtile.

Sequenti die idem Anglus volebat, vti secum nauigaremus, quæ postulatio Duci nostro admodum displicebat, metueuti, ne quid mali in nos consilij latitaret. Deprecatus igitur hanc societatem iter suum porrò persecutus est, vsusque prosperis ventis peruenit nobiscum *Venetias*: vbi in loco quidam, qui *Mamaluca* dicitur, *Dominica Palmarum* appulimus, ibiq; ad festum vsq; *Pentecostes* conquieuimus.

Eodem tempore viginti quatuor naues aduenere è *Germania*, ferentes *septem millia Germanorum militum* ductu & auspicijs *Iohannis Comitis Nassouij*, vti supra quoq; commemoratum à nobis est: narrabant hi, classem Hispanorum ausam non fuisse, inuadere Germanos, quanquam omninò ita facere constituissent.

Germani milites Venetis auxilio missi.

Venetiis cum hæreremus, interdictum est nostro nauarcho profectione, quin & Reipublicæ nomine ab ipso petitum est, vt naui sua classem Venetam in hostes profecturam comitaretur, & hoc officio studium suum Reipublicæ approbaret. Sed Nauarchus honestâ excusatione vsus hanc petitionem à se amolitus est: Primam hanc esse profectionem suam in exteras regiones asserens: bellum sibi rem peregrinam, homini in patria hactenus versato: multos in eodem portu esse, qui aliquoties Venetijs negociati fuerint, non sine ingenti lucro, quos eo nomine compellari posse iustius, & seruire rectius. Hæc cum verisimiliter dicere visus fuisset, approbata eius oratione dimissus est. Noster autem Archithalassus cum alijs magni nominis Nauarchis & Ordinum ductoribus, inter quos & *Iacobus Sturmius* ille fuit, vir strenuus & raræ fortitudinis, cuius etiam in superioribus à nobis facta est mentio; hi, inquam, in stipendia Reipublicæ Venetæ venerunt, addicta opera sua, probatisq; studiis.

Tandem spes nobis facta est, nauem nostram mercibus oneratum iri, vel *Hydrunte in Apulia*, vel *Callipoli in Calabria*. Deserta igitur Venetiarum vrbe, altero die festo Pentecostes vela fecimus, intra *Corcyram* (quæ Homero *Phæacum* Insula erat, hodie *Corfu* vocatur) & *Apuliam*, recta *Callipolin Calabriæ* petituri. Quo cum peruenissemus, decem naues Anglicanas ibi offendimus, quæ nobiscum societatem inire, eandemque fortunæ aleam experiri volebant. Sed nauarchus noster iusto superbior, quod nauis nostra optimè velis vteretur, & machinis præclarè instructa esset, recusauit. Sed pœnituit eum hæc peruicacia paulo post; parum enim aberat, quin vacuis nobis redeundum fuerit, adeò difficile erat negociatores reperire, qui mercibus nauem onerarent. Et sanè spe nostra hic quidem fœdè lapsi sumus.

Phæacum Insula, deinde Cyrnus, post Gorcyra hodie Corfu dicta.

Redeundum enim nobis *Hydruntem* fuit in *Apuliam*, vbi trecenta dolia olei oliuarum plena nacti sumus, ingentes siquidem in illa regione Syluas meris oleis consitas inuenies, vt iam nihil dicam, de incredibili illius terræ, etiam quo ad cæteras res, fœcunditate.

Die

Die Iulij vigesimo discessimus ab littore Appulo, multumq; viæ mari emensi, tandem ad *Strictum siue Fretum Gaditanum*, ad promontorium siue *Caput Sparti*, haud procul oppido *Gibraltar* peruenimus. Ibi vndecim naues procul se conspectui nostro obtulerunt. Nos magno errore arbitrati eas esse Anglorum naues, qui nobiscum in portu *Callipolitano Calabriæ* substiterant, post tres horas experti sumus, non amicos aut socios sed Piratas nobis imminere. Nam plenis velis, & tanto cum impetu, vt omnino hostes agnoscere posses, in nos ferebantur.

Vndecim naues Piraticæ in Freto Gaditano.

Cum autem facilè intelligeremus, pugnando nos nihil salutare effecturos, cum multitudine, & robore, & apparatu nauium nobis essent longè superiores; fugam necessariò arripuimus. Accedebat metus grauior, si nos subegissent, non tantum de fortunis nostris, sed de libertate omnium actum fore, quibus seruitus seruienda foret per omnem vitam, quouis mortis genere miserior & calamitosior. Quòd mihi quidem, (vt de me profitear) adeò pertimescendum non erat; alius me metus habebat, ne ægrum me ac debilem membris pro inutili carinæ pondere in mare præcipitarent, & Neptuni pecus pascere iuberent. Persecuti sunt nos hi Piratæ per integrum diem, vsque ad mediam noctem, sine fine clamitantes: *Arniel amine Berragan*, id est, si nostra lingua dicas: *Dedite vos, dedite vos, ô canes.* Quos nos clamores surda aure & tacito ore excepimus, Dei auxilium serijs gemitibus implorantes, vt nos ab horum latronum furore tueretur. Tandem nobis tam propinqui facti sunt, vt machinas aliquot in nos exploderent. Læsa quidem parumper nauis est; cæterum è vectoribus tactus nemo. Pertenderunt igitur nos porrò insequi, donec aurora diem præfiguraret. Ibi Boreas, velut Triarius in extrema subsidia nobis seruatus, tanta vi flauit, vt piratæ, qui leuiter onerauerant carinas suas, metuerent, ne euerterentur naues. coacti igitur sunt ob Aquilonum vehementiam vela quædam complicare: nos verò contra, qui grandia vehebamus onera, plura vela expandimus, quæ res nobis celeritatem nauigandi attulit.

Ingens periculum authoris & sociorum.

Cum autem sequendi finem non facerent, iussit nauarchus noster, vt præfectus rei tormentariæ, eas, quæ in puppi erant, machinas, prouide in hostem dirigeret, ac iacularetur. Et hoc multum faciebat ad promouendam cursus nostri celeritatem. Quoties enim machina aliqua ænea disploderetur, repercussa violento igniti pulueris motu, nauim simul propellebat: contra, quando Piratæ nos tormentis suis petebant, naues eorum, resiliente tormento, retrò agebantur, qua ratione factum est, vt quo crebrius in illos fulminaremus, eo celerius progrederemur, ipsis vero ictuum frequentia tarditatem attulit. Hæc fuga nostrorum, & persecutio crudelissimorum hostium, nec non reciproci ab vtrisq; dati acceptiq; ictus è grandibus tormentis, cum oriente Sole cœpissent, durauerunt vsq; dum idem astrum inclinaret ad vesperam. Ita Deus nos iam rursus clementissimè è faucibus horum luporum eripuit. quia enim fugiendo illos tamdiu fatigaueramus, certum est, si nobis viuis potiti fuissent, eos nec modum nec finem crudelitati ac sæuitiæ posituros fuisse, fuit igitur hæc liberatio nostri miraculo planè similis, & omnibus modis digna, vt Deo Opt. M. immortales gratias ageremus. Altero die Galli quidam piratæ cum Myoparone ad naues nostras accesserunt, tentaturi, an prædæ aliquid se ipsis offerret. Simulac autem viderunt machinas nostras æneas de foraminibus exserto capite prospicientes, mirati, retrò abierunt.

Sæuitia Piratarum.

Nos igitur vsi secundis ventis cursum nostrum continuauimus, vsque dum ad extremum Angliæ finem peruenimus, quem Britannica lingua

SVRLES

SVRLES vocant, estq; exigua Insula, sed tam lapidosi & plane saxei littoris, vt nauibus eò per imprudentiã delatis, flantibus ventis impossibile sit, se inde expedire. Scopuli enim subter aquã latentes, & cæcæ rupes præsentem incidentibus nauibus perniciem afferunt, quos scopulos nos vitauimus prætereundo. Cumq; ad passus circiter mille progressi fuissemus, in tanta deuenimus pericula, vt parum abfuerit, quin omnes internecione periremus. Nebula enim tam densa nos cooperuit, vt omnem vsum oculorum nobis adimeret; sed repentè disparente caligine ista, fulgida lux apparuit, vt mirabilem Dei gratiam nec agnoscere nec prædicare satis potuerimus.

Surles Insula iuxta Angliam scopulosa.

Fuerunt in vulgo nauigantium quidam, qui minus rectè de his improuisis tenebris iudicarent: veneficarum aut Sagarum malitia, ope Cacodæmonis illas in nostram perniciem excitatas fuisse. Sed Nauclerus, rectiori disciplina imbutus, reprehendit eos, comminatus etiam, si quis post hac impiè parumque Christianè de his rebus sentire aut loqui ausus esset.

Nota de tempestatibus iudicium.

Perpessi igitur infinitos terrores, angustias & calamitates, vigesimo quarto Augusti die Anni 1617. in Hollandia salui & incolumes omnes appulimus, exhaustis mille periculis, è quibus nos ineffabilis clementia Benignissimi Dei potenter eruit, cui & hoc & mille alijs nominibus sit laus & gloria in æternum.

Autor redit in Hollandiam.

FINIS Nauigationum Samuelis Brunonis, ciuis Basileensis, in Africam, Guineam, Angolam, Congum, Syriam, Ægyptum, Italiam, Granatam, Lusitaniam, aliasq; regiones atq; Insulas.

L AMICE

AMICE LECTOR.

QVoniam Authori harum peregrinationum, earundemq; descriptionum, viro honorabili, *Sameli Brunoni Basileensi*, ciui eiusdem Reipublicæ, & in patria Iatro Chirurgiam cum laude facienti, visum est, publicis testimonijs narrationum suarum fidem adstruere cum ipsum non fugeret, permultos esse etiam inter ciues suos, qui tam insulsi & insipidi, adeoq; Coroebo stultiores sint, vt quę ipsi non viderint, alijs narrantibus minimè credant: si prę̨sertim à nostris terris, moribus, viuendi ratione & consuetudinibus sint paulo alieniora, quæ recitantur: nos quoque in hac versione ne illis quidem testimonijs lectorem latinum fraudare, sed ea ex inferioris Germaniæ dialecto translata, Romana toga donare voluimus. Vbi tamen non est dissimulandum, authorem potuisse & alijs magnorum virorum testimonijs instructum in medium prodire, inprimis autem Illustrissimi Principis *Mauritij Nassouij*. Cum autem illius animi constantia in periculis, fortitudo in bellis, diligentia in curandis saucijs atq; ægris, tot millibus mortalium apprime nota sint, &, teste Marco Tullio, cum viuorum hominum testimonia habemus, nil opus sit tabularum fidem desiderare: existimauit ipse, hæc quæ sequuntur instrumenta, æquo Lectori suffectura: quem rogamus, ne ijs percurrendis tædio afficiatur, qui sine roncho & rhinocerotis naso, vt *Martialis* ait, ipsam peregrinationem iam perlegerit.

Primum

Primum Testimonium.

ANno à nato Christo Seruatore nostro millesimo sexcentesimo decimo tertio, duodecimo die Octobris mensis, coram me Dauide Mostardo, publico, & à ciuitate Amsterodamensi misso ac nominato, à Curia autem Hollandiæ recepto & approbato Notario, adhibitis conuenientibus testibus, quorum fides nota, & nomina infra adscripta sunt: Coram nobis inquam comparuerunt Spectabiles & honesti viri, Franciscus Steenhusen, Petrus Schellingius, Lucas Van-der-Vennius, & Iohannes Francus, omnes negociatores, exercentes mercimonia sua in tractibus littoralibus Africæ & Angolæ, & veracibus verbis, vt sunt viri honestissimi, asseruerunt, Virum doctum probumque Samuelem Brunonem Basileensem, postquam ipsis operam suam addixisset, in naui eorum, cui nomen VIRO MARINO fuerit, pro Chirurgo fideliter inseruiisse, totoque illius peregrinationis tempore vsque ad reditum in Hollandiam ea fecisse, quæ virum probum honestumque, studiosum insuper & industrium Chirurgum deceant, cuius diligenti & fideli opera se libenter posthac denuo vsuros, si ipsius res & rationes ita ferant. Quapropter se vnanimiter à me Dauide Mostardo contendere, vt adstruendæ dilectæ veritatis ergo hæc omnia, quæ ex ipsis intellexeram, ad mentem reuocarem, memoriæque infigerem, ipsiusque Samuelis Brunonis commodo & vsui literis publicis, vnis vel pluribus in solemni forma aperti Instrumenti conciperem. Quæ petitio ipsorum, cum honestissima fuerit, optimis fundata rationibus, mei officij iudicaui, eam non recusare, sed tantis viris, exigente Notariatu meo, per omnia consentire.

Acta sunt hæc in ædibus meis Amsterodami, coram me Dauide Mostardo, Notario publico, & hisce testibus, Lamberto Iacobi & Gulielmo de Borselle, qui in hunc finem peculiariter rogati & exorati comparuerunt.

In protocolli inferiore parte erant consignata hæc nomina.

Franciscus Steinhuisen.
Petrus Schellingius,
Lucas Van-der-Vennius,
Iohannes Francus.

Ita testor ego mea manu, & impresso Sigillo Notariatus mei, Dauid Mostardus, Notarius Publicus, anno & die, vt in principio annotatum est.

II. Testimonium.

Illustrissimi Principis & Domini, D Mauritij, *Principis Aurangiensis, Comitis in Nassau, Cattimelibocorum, Viandæ, Diezij, Marchionis Veræ & Vlyssingæ, Baronis in Breda & Grimberg, Gubernatoris prouinciarum Germaniæ inferioris fœderatarum, Geldriæ, Hollandiæ, Selandiæ, Sutphaniæ, Vltraiecti & Transisulanæ regionis; Archithalassus Generalis Ordinum Belgij, &c. iussu, ductu & auspicijs: Ego* Iacobus Arenzius Calantius, *Gubernator arcis & munimenti* NASSAV, *in* Guinea Africæ, *notum facio omnibus & singulis has literas lecturis, & testor bona fide, Virum honestum & probum* Samuelem, Brunonem Basileensem, *sub Imperio meo, in prædicto* Castro Nassau, *& præsidio militum illic stipendia merentium, Chirurgi munere circiter triginta tres menses summa cum fide & dexteritate functum esse, sauciorum ægrorumque curam fidelem habuisse, cunctisque experientiam & industriam suam ita probauisse, vt doctum bonumque medicum ac Chirurgum facere conuenit, quo nomine meritò ab omnibus qui ipsius probitatem & diligentiam experti sunt, magnæ ei debentur gratiæ, Cum autem stipendia ipsi sint emerita, elapso tempore, quod ei præstitutum erat, & quo ipse operam suam addixerat; petijt à me, non tantum honestam missionem sed & vitæ suæ apud nos in dicto Castello toto prope triennio honestè ac legitimè actæ verum testimonium, & literas commendatitias, quibus adiutus patriam repetere posset. Quæ ipsius petitio, cum mihi visa fuerit honesta & bonis suffulta rationibus, statui illam ad animum reuocare, ipsique gratificari, quod & præsentibus hisce literis facio: Orans omnes Legionum, cohortiumque summos præfectos, equitum magistros, ductores Ordinum, Centuriones, Tribunos, & quicunque sunt cum imperio militari, nec non Gubernatores Oppidorum, Castrorum, portuum, munimentorum, in vniuersum denique omnes magistratus, vnumquemque pro conditionis ac status sui qualitate, ne quid impedimenti aut damni, vel per se vel per suos, dicto* Samueli Brunoni, Basileensi, *terra vel mari iter facienti, inferant aut inferri sinant, sed ipsius potius itinera & nauigationes benignè adiuuent ac promoueant, ipsumque omni Comitate & beneuolentia complectantur; idque faciant nostrâ gratiâ, qui vicissim pollicemur, nos eadem humanitatis officia exhibituros omnibus, qui ita ferentibus temporibus, ab ijs pari ratione nobis commendati fuerint: sed & alijs se offerentibus occasionibus nos gratos atque memores futuros. In cuius rei fidem præsentes literas*

manu

manu mea subscripsi & vsitato sigillo impresso roboraui. Acta sunt hæc Amsterodami, vigesimo octauo die Iulij, Anni mill sexcent. vigesimi.

Iacobus Arenzius Calantius, Gubernator Castri Nassouij in Guinea Africæ.

III. Testimonium.

N*omine Illustrissimi & Excellentissimi principis*, Mauritij principis Vraniensis, Comitis in Nassau, &c. *Supremi Gubernatoris Geldriæ, Hollandiæ, Selandiæ, Zutphaniæ, Vltraiecti & terræ Trans Isalam, Admirallij Generalis omnium inferioris Germaniæ confederatarum prouinciarum &c. Ego* Thomas Peterssonius, *Amsterodamensis, Præfectus & Capitaneus vnius nauis militaris, cuius nomen* Edam, *Testor omnibus & singulis has litteras lecturis*, Samuelem Brunonem, Basileensem, *latorem præsentium, sub meo ductu, inque meæ fidei commissa naui, Chirurgi medicique munus summa diligentia obiuisse, toto illo itinere, quo Orientem versus nauigantes*, Ægyptum, Syriam, Insulasque Cyprum, Cretam, Maltam *aliasque regiones ac vrbes exoticas adiuimus, sed & in reditu versus Hollandiam, vbi per tempus decem mensium & octo dierum non tantum ea præstitit, quæ doctum, peritum, diligentem Iatro-Chirurgum decent, vnde ab omnibus meritò gratiam reportare debet: sed & ea fecit, quæ promtum & intrepidum militem in periculis ab hoste imminentibus facere conuenit, vitamque de cætero probè ac laudabiliter egit. Cum autem fors ita tulerit, vt reducta in patriam naue, & elapso constituto tempore stipendia nobis emerita sint, & iuramentum expirauerit, exauctorato dimissoque milite; conuenit me dictus* Samuel Bruno Chirurgus, *petens diligentiæ suæ, fidei in Ordines, & totius vitæ nobiscum per decimestre tempus honestissimè actæ publicum testimonium, litterasque commendatitias, quibus adiutus patriam Heluetiam commodè & cum laude repetere posset: Quod quidem bono illi viro negare nec volui nec iure potui, sed eum verissimo hoc testimonio ornare debui. Rogo itaque omnes, qui tam militiæ quam in oppidis cum imperio præsunt, cunctosque adeò magistratum gerentes, pro vnius cuiusque status & conditionis exigentia, vti ne huic* Samueli Brunoni *Chirurgo*

terreſtre vel maritimum iter facienti, vel per ſe vel per ſuos impedimento ſint, ſed potius operam dent, vt benignè ac comiter vbique accipiatur, & rationes itinerum eius promoueantur, ſicut meritus eſt, & merebitur impoſterum de vnoquoq; pro viribus. Nos autem ipſi viciſsim non erimus ingrati, ſed pari beneuolentia complectemur omnes, qui nobis pari de cauſa à ſuperioribus ſuis commendati fuerint. Cui rei pleniorem fidem facturi literas haſce publicas & apertas manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigno, quo in his talibus vtimur, impreſſo firmauimus. Acta ſunt hæc feliciter Amſteredami, decimo ſexto die menſis ſeptembris, Anno à nato Chriſto Domino noſtro, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo.

Thomas Peterſſonius, Capitaneus.

SOLI DEO GLORIA.

GAUDEO